Yk.
2810.

H. Ascet - 1150

Collegii Soc. Jesu Monacen.

VERA PIETAS

SEU

VIRTUTUM, DEVOTIONUM, ACTIONUM EXERCITATIO

à

R.P.B. LE MAISTRE,

è SOCIETATE JESU,

Gallicè descripta,

Et jam septima editione vulgata.

Modò Latinè reddita.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis Wolffgangi Schwendimañ,

Universitatis Typographi, 1724.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

PRÆFATIO.

PAtere mi chare Lector, ut te ANIMÆ nomine compellem, tibíque cùm ſecurum, tum facile medium ſuggeram ad perfectionem conſectandi; id quod ſequentibus paginis me effecturum conſtitui. Invenies in tenui hoc opuſculo virtutum, ac Chriſtianarum actionum praxim, quæ in omnem vitæ tuæ curſum apprimè deſerviant.

Neque animum inducas velim, me unicè egisse, ut nonnullas exercitationes devotionis in unum colligerem; fixum mihi erat probatissimæ pietatis opera, ac sinceræ devotionis ideam edocere.

Atque ut suo ordine hanc vitæ pientioris normam digererem, trifariam partitus sum. Prima pars virtutes, altera devotiones, utrumque primi nominis exhibebit, tertia tandem perfectam methodum, singulas actiones diei ad omnem bonitatem conformandi. Sub initium cujusvis partis quasdam reflexiones præmittendas duxi,

xi, ut feliciùs multiplices praxes traderem, & earum uſum faciliùs perſuaderem.

Cupio votis omnibus, ut veræ devotioni mentem, ac conatum addicas; incitamenta ad hoc reperies non tot, quin plura, ſi evolvendo huic libello frequens vacaveris, utpote quem æquè hominibus mundo natis, ac perſonis DEO dicatis opportunè factum ſcito. Satage perfectionis tuæ, utere tempore, quod tibi ad uſque exitum eſt ſuper, eáque commoda in tuos uſus convertе, quæ ſanctitati perficiundæ, ſaluti tuæ conſummandæ abundè ſuppetunt:

vel quæ, ut ad ſanctitatem gradum facias, ac ſaluti tuæ proſpicias, te undique circumſtant. Vale.

VERÆ,

VERÆ, ac SINCERÆ DEVOTIONES.

Introductio Generalis ad veram Devotionem.

PRiusquam ad singulares praxes virtutum, ac devotionum descendamus, proderit, ô ANIMA, generatim adducere in omnem tuam vitam conducentia, atque unà occasiones indigitare, in quibus manum operi admoveas. Neque animô concidas velim, si conanti primùm nonnullæ difficultates occurrant, siquidem initiis has esse congenitas nôsti, & si ingenti fervore in bene cœptis perduraveris, cuncta tibi quàm facillima experiêre.

Surrectio Matutina: Quòd diem immodico fervore ordiaris, argumen-

mento erit, ſi te promptè è ſtrato proripias, neque ſomno longiùs indulgeas, ac neceſſitas depoſcat. Primas cogitationes DEO ſacratum ito, ante alia aut amoris, aut alterius virtutis actum eidem impendendo. Dum te veſtibus induis, veniat in mentem devotio, ſeu virtus, in quam hodierna die oportet incumbere. Licebit quoque memoriâ repetere ea, quæ prolixioris meditationis campum tuo Spiritui ſuppeditabunt.

Preces Matutinæ. His ne deſis unquam, quodcunque ſummi momenti negotium urgeat; modum hoc præſtandi vide infrà actionibus inſertum. Cùm te DEO in oblationem penitus conſecras, memento ſimul operibus tuis eam intentionem præfigere, quam pro illa die notatam legeris. Atque ut rem exemplo planiorem reddam, ſi diem agas Dominicum, offeres tum cogitatus, verba, & actiones in honorem

norem Sanctiſſimæ Triados ; ſi diem Lunæ, in ſubſidium animarum inter purgantes flammas gementium, & ſic de reliquis. Cùm petitionem, & ſancta quæque propoſita ſubnectis, memento virtutis, quam illa die exercendam ſuſcipis, ac DEO adpromitte te per diem operam pluribus piis actibus daturam.

Mentalis Oratio. Si devotioni pluſculum afficeris, ac penſitandis morum regulis, ſeu fidei veritatibus nonnihil temporis impendis, experimento condiſces, quantum indè utilitatis ſuccreſcat. Hujus exercitii, quod mentis Oratio dicitur, materia nonnunquam eſſe poterunt reflexiones, conſiderationes, & præcipuæ praxes hoc libro deſcriptæ. Prætereà ſub Auroram, deductis ad finem precibus, expediet lectione percurrere, quæ ad devotionem, ac virtutes illius diei proprias ſpectant.

Miſſa. Huic Sacrificio, nulla non die adſis, ô ANIMA! Hæc una eſt earum devotionum, queis primas curas debes; Memento hanc offerre ſecundùm intentionem diei. Si Dominica ſit in honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, ſi Lunæ dies, pro animabus in piaculari igne detentis, &c. Neque omitte DEUM peculiariter orare, ut virtutem, cujus ſtudium dies illa jure quodam ſuo exigit, tibi familiarem reddat. Sub Miſſæ auditionem, aut aliis horis arbitrio tuo ſtatuendis, licebit dicere preces longo â te uſu receptas, aut eas, quæ hujus diei propriæ ſunt, ac ſuo loco notatæ. Si Dominica ſit, Officium de Sanctiſſima Trinitate, &c.

Occupatio. Ne quæſo otio tempus perdas, quod tam pretioſum, atque unicè inſumendum eſt, ut obligationibus ſtatûs, & conditionis ſatisfiat. Priusquam laboribus des initium, eosdem DEO dicare con-

convenit, atque per decurſum crebriùs cor ſurſum levare per internum aliquem actum amoris, oblationis, &c. commodùm adhibebis aſpirationes, quarum ſeriem in ſingulos dies diſtinctam habes. Neque cauſare, ô ANIMA! nimiùm tibi oneris imponi, dum à te exigitur, ut negotiis tuis interdum cogitationem de devotione, aut virtute illius diei interſeras. Modica ad DEUM aſpiratio tanta facilitate, quanta velocitate fit; minus quoque arduum eſt meminiſſe virtutis, v. g. humilitatis, &c. quæ exercenda eſt, aut parumper animum reflectere ad occaſiones, quæ occurrere poſſent, hanc virtutem exercendi.

Refectio. Hanc â benedictione ordiri, & cum gratiarum actione terminare decet. Quo pacto ad DEUM ordinanda ſit, quanta cum modeſtia, ac moderatione cibis utendum, libellus iſte docebit.

Converſatio. Ecce tempus nonnihil tuum ſpiritum remittendi; ſed cave ſis, ne verbis iram, detractionem, aut effuſiorem libertatem ſpirantibus in DEUM pecces. Nonne magìs conſultum foret, ô ANIMA, de occurrente illius diei devotione, aut virtute, quæ tibi præ cæteris cordi eſt, aut alia utili materia ſermones, quàm ſcurriles jocos proferre, qui tantùm abeſt, ut in corde loquentium, vel audientium pietatem accendant, ut potiùs eidem extinguendæ plurimùm deſerviant?

Viſitatio SS. Sacramenti. Si per negotia liceat, nullum diem tranſire ſinas, quin â prandio in aliqua Eccleſia, ad tuum JESUM inviſas; commodè tum in mentem revocare poteris devotionem, & virtutem cujusvis diei, has meditari, atque â tuo Servatore obtinendas curare, aut, ſi malis, aliâ ratione cum tuo DEO agere, qui pro ejusmodi officiis

ficiis nunquam patietur vices ſuas deſiderari.

Recitatio Horarum, & Roſarii. Ecce tempus, tuas Horas, tuum roſarium, aliásque preces perſolvendi. Cur his diſtentus mentem advertere nequeas ad peculiarem illius diei devotionem, v. g. Dominicâ, myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & cogitationes ſuper hoc notatas recolendo,&c.? Ah! ANIMA, neſcio tibi pro voto, & viribus ſatìs commendare attentionem ſub precibus requiſitam, ut nomen fervoris, ac pretium meriti dignè ferant. Crebriùs inſpice diverſos modos, quos in precantium utilitatem adjicio, eósque diligenter adhibe.

Lectio ſpiritualis. Fortè mihi objectabis, ANIMA, quaſi te obruere contendam. Abſit, ſolùm abs te peto, ut, ſi negotia inſtent, ſummùm quartam horæ partem, pientiori lectitationi impendas. Omnes libros ſepone, quos â profanis

amoribus, aliísque ſecuturis damnis infames nôſti. Diſce ex probo authore tibi ſalutem, & non ex perverſo damnationem accerſere. Experimento tuo penitius, ac ego cumulatis verbis explicare queam, aſſequêris, quantùm ad ſanctimoniam conferat ea evolvere, quæ probatæ virtutis viri poſteris ſcripta reliquerunt.

Varii Eventus. Humanam vim exſuperat, facere, quin per diem diverſa quæque occurrant; unde ſolicitè curabis ſequentia. Si tentatio te urgeat, aut afflictio mentem pulſet, recurre ad eum, cui devotionem hujus diei conſecrâſti; ſi Dominicum diem agis, in ſubſidium voca Sanctiſſimam Trinitatem, &c. ſi in errata quædam proruiſti, ne ſcelera ſceleribus accumula, ſed promptè, à DEO veniam deprecans, te erige. Si citra opinionem deferaris ad occaſionem periculi plenam, ſeu ad pravam ſocieta-

cietatem, cui familiare eſt, dicta, & facta ad honeſtatis leges minùs componere, quam primùm potes, te ſubtrahe, ùt ùt tecta civilitas, quam reſpectum humanum vocant, oppoſitum ſuadeat. Si obſerves ſpiritum tuum, plus æquô, diffuſum, aut in remiſſionem, tædiúmve declectere, ad preces confuge, flecte ſaltem uno momento, ad tuum oratorium, ut ſpiritum fervoris, & devotionis, utpote animam omnium tuarum actionum, à DEO ſupplex expoſcas.

Examen Conſcientiæ. Nunquam te lecto committere debes, quin priùs in tuam conſcientiam ſedulò inquiſiveris. Singillatim animum adverte, quanta fidelitate debito exercendæ devotionis, quam illa dies tibi impoſuerat, ſatisfeceris; quantum in virtute, cui peculiariter ſtudere tibi fixum erat, progreſſa ſis. Vide meditationis puncta, ſi quam facere conſueviſti; praxes

virtutis, & devotionis, utrumque intellige pro die altera, atque inter ejuſmodi cogitationes te veſtibus exue.

Si in tua poteſtate ſit, omnes domeſticos in unum congrega, diſcutiendæ conſcientiæ, ac nocturnis precibus ſimul vacare jube.

Singulis Septimanis. Singulis octo, vel quindecim diebus, plus minúsve è conſilio tui moderatoris Confeſſionem, ac Communionem iterabis, ſingulari ſemper fervore, ac præparatione, ut immodicos fructus indè referas. Hìc te curſim admonendam duxi, ANIMA, me neutiquam intelligere, quî complures perſonæ, quæ ſemper easdem vanitates, easdem furias, easdem imperfectiones præſeferunt, tantâ frequentiâ, & tam exiguo profectu hanc ſacram menſam accedere non vereantur.

Dominicis, & feſtis diebus, aliquod tempus tribue conſiderandis defe-

defectibus, quos illa hebdomade, quantum ad praxim tuarum devotionum ſpectat, commiſiſti; vide unà, quæ bona opera tibi eodem tempore exercenda veniant. Præverte memoriâ, quibus indulgentiis potiri poſſis, quam in pauperes ſtipem largiri, quos ægros inviſere, quorum diſſidentium concordiam procurare velis, &c.

Miſſæ ſolemniori, & Veſperis adeſto; auſcultа Verbi divini prædicationem, & Catecheticam doctrinam; plùs quoque temporis præter ſolitum, precibus, & ſacræ lectioni donato. Neque putes te excuſatum iri, quaſi per otium non liceat ſimilia præſtare; Quis enim negat hunc in finem feſtos dies eſſe ſtatutos, ut complures horas, eásque vacuas nanciſcamur, DEUM, ejúsque Sanctos cultu proſequendi, ac majori niſu noſtræ perfectioni inſudandi?

Singulis menſibus, Quovis menſe

ex

ex ſanctis tum occurrentibus aliquem delige, cujus protectioni te fidentiùs comittas, cujus feſtivam lucem pientiùs recolas, cui peculiari jure debitum penſum exſolvas, utì exercitium devotionis erga Sanctos te docebit.

Porro non abs re fuerit, quot menſibus feſtum diem ſtatuere, quo cœleſti menſæ aſſiſtas, ac majori contentione virtutum operibus ſtudeas. Ad examen revoca omnem tuam vivendi rationem, tuas actiones, temporalem ſtatum tuæ domûs, fidelitatem, quâ hactenus DEI, & animæ tuæ res accurâſti, ſimul de mediis cogita, ut ſecuturo tempore meliùs obligationi tuæ ſatisfacias, fervorem juxta, ac devotionem pro viriſi innoves.

Tum quoque opportunum videtur convenire eum, quem à confeſſionibus habes, eidem toto ſinu exponere, ſi qua crebrior tentatio,

ſi quæ

ſi quæ anxietas, aut dubitatio mentem ſubiit, ut ſalubri conſilio tibi adſit, ſéque in emendatiore curſu ducem præbeat.

Singulis annis. Complures, non ſinè commendatione aſſolent, quovis anno continuos aliquot dies ſpirituali receſſui ſe dare, ubi æternas veritates intenſiùs meditantur, in omnes ſuas actiones diſtrictè inquirunt, ut illarum conſideratione ad altiorem perfectionem animentur, & has â nævis repurgatas cumulatioribus ſemper meritis proſequantur.

Eâdem opportunitate ſummatim clavibus ſubjiciunt, quæ anni decurſu perperam acta ſunt. Ego tibi author ſum, ANIMA, ut horum exempla ſecteris.

Quod ſi tot, tantæque praxes te nonnihil conſternatum, ac de optato ſucceſſu dubiam reddant; animos reſume, ANIMA, tibíque â S. Bernardo, præviæ inſtitutionis

locò

locò dictum existima, quod is super rerum initia disseruit : *Primum tibi importabile videbitur aliquid, processu temporis si assuescas, judicabis non adeò grave ; paulò pòst & leve senties ; paulò pòst nec senties ; paulò pòst etiam delectabit.*

PRA-

IHS

PRAXIS VIRTUTUM IN SINGULOS HEBDOMADÆ DIES.

Reflexiones ſupra praxim Virtutum.

NE mirare, ANIMA, ſi pro quavis die, quem per ſeptimanam agis, particularem virtutem notatam invenias; novi eſſe longè optimum ſingulis diebus in omni genere virtutum ſe exercere. Ego unicè intendebam, te commonere, ut virtutis, quam cuilibet diei præfixam legis, peculiari ſtudiô ſatagas, atque hunc in finem contendebam praxes, ſeu exercitationes virtutũ, utì magìs præcipuarum, ità longè utiliſſimarum ſuo ordine adferre. Verùm

rùm ut ex iis, quæ dicturus ſum, copioſiùs proficias, libeat, ita te obteſtor, mecum ſuper virtutes nonnulla reflectere.

I. *Earum neceſſitas.* Cunctæ ùt ùt minimæ praxes devotionis pretio ſuo non carent; recitatio roſarii cum cæteris precationibus, viſitatio SS. Sacramenti, ſpiritualis lectio, & quæcunque alia pietatis exercitia, quibus communiter operam damus, DEO acceptiſſima ſunt, & ad perfectionem proficua, quàm quæ maximè; ſed inchoare oportet ab eo, quod principem locum ſibi vendicat, ANIMA, nimirum ab exercitatione virtutum, tanquam â regula, & menſura noſtræ perfectionis; adeò ut nequaquam ſanctior, habendus ſit, qui crebriùs officia, ùt vocant, & roſaria orando percurrit, ſed qui virtutes magìs numeroſas ſibi comparavit. Argumento, cui nemo unus contraveniat, eſt, modò pauciſſimos è merito audire

dire perfectos, ſolidáque virtute præditos, cùm intereà vix in certum numerum referri queant, quibus nîl antiquius eſt, ac in terendis corollis Marianis, in recitandis Officiis, in adimplendis minoribus praxibus devotionis eſſe aſſiduos, imò profuſos. Interna devotio externam animare debet, & noſtris actionibus pretium addere. Oportet haſce preces, & actiones deforis patentes fieri cum ardenti amore, cum profunda demiſſione, & in conſortio earum virtutum, quæ omne opus cæterà abjectum attollant, & quibus major vis inſit nos ad perfectionem deducendi, quàm ſingulis præſidiis, quæ hunc in finem adhibere poſſemus. Proinde adhuc hodie ſolidis virtutibus manum admoveamus, & nullo non die in iisdem progredi conemur.

Certè in dedecus haud exiguum tibi vertitur, ANIMA, te priſtinis imperfectionibus ſemper adhæreſcere,

ſcere, atque in virtute vix gradum feciſſe. Poſt tot precationes, queis partim mens, partim lingua fatigabatur, poſt tot expiationes, & cœli refectiones, poſt tot diſcuſſiones conſcientiæ, ſacras lectiones, divini verbi auditionem, poſt tanta exempla, ac media non tot, quin plura, quæ tibi ſuppetebant augendæ perfectionis ergo; ah! dicam, quod ſentio, poſt triginta, aut quadraginta annos in memoratis exercitationibus ſuperatos, nondum didiciſti vel unicam lineam demiſſionis; in puncto honoris, ùt ajunt, ac tui ipſius exiſtimatione adeò ſenſibilis es, ut verbum unum joco prolatum, modica deſpectio, parvula repulſa te in furias, in murmura, in dicteria injuriis aſpera, in violentos quosque affectus propellant; id quod compertum facit, te triginta annorum ſpatio nec primum rudimentum humilitatis poſuiſſe.

Ne-

Neque difficilioris negotii res foret te palàm convincere, quòd in cæteris virtutibus æquè tenue incrementum feceris, ac in tui deſpicientia; ſed ſuperſedeo fuſiore calamô ſingillatim excurrere, ut celeriùs ad aliam non minùs utilem reflexionem tranſeam.

II. *Earum Connexio.* Virtutes tam arcto inter ſe vinculo illigatæ ſunt, ut unam ſinè alia perfectè velle conſequi, ſit actum agere. Ego tibi ſeptem duntaxat virtutum praxes ſuggero; ſed quemadmodum hæ, ceu capita reliquarum ad primam claſſem pertinent; ità indubium videtur, ſi hiſce mentem informaveris, te ſimul univerſis imbutum iri. Prætereà operæ pretium duxi tam parvo numero inſtitutionem meam definire, ne tibi ingenti multitudine moleſtus accidam, atque ut unà doceam eas, quæ principem locum merentur, â reliquis diſcernere; quò frequentiſſi-

tiſſimus multorum error prævertatur, qui neglecto ſolidarum, ac præcipuarum virtutum ſtudio, tenuibus ſemper initiis inhærent, neque illarum ſublimitatem unquam aſſequuntur.

III. *Primum medium obtinendi aliquam virtutem. Nihil facere, quod illi contrarium ſit.* Ecce primum gradum virtutis indipiſcendæ, ut non committas, quidquid huic adverſatur, accipe exemplum; tibi ſtat animo, humilia ſequi, verámque demiſſionem aſſequi, cave ſis, ne vanis cogitationibus locum des, ne in tuam commendationem verbulum excidat, ne quemquam contemptui habeas, &c. Pari ratione de aliis virtutibus ſentiendum, ut ſolicitè devites, quæ iisdem repugnant.

IV. *Secundum medium. Actus illius virtutis exercere.* Iſtud medium nemo non videt adeò neceſſarium, ut ſinè eo nil profectura ſint

ſint cætera, ſcilicet ſcriptitando diſcimus ſcribere, pingendo pingere, & virtutem, ejúsque apicem conſequimur crebriore ejusdem uſu ac exercitatione. Ora, quantum lubet, pete â DEO certam virtutem, longior diſcuſſio, ſeriæ reflexiones ſuper eadem te occupatam teneant, omnes libros evolve, qui hanc dilucidè pertractant, audi ſacros Oratores, qui hanc nervosè perſuadeant, vide exempla, quæ hanc illuſtriùs exerceant, firmiſſimè tecum ſtatue hanc conſectari, imò vias, virésque omnes in hunc finem converte; dico tibi, ANIMA, niſi ad praxim hujus virtutis totum dirigas, niſi hanc exercere aggrediaris, profectò nunquã obtinebis. Quare adhuc hodie inchoa in abjectis verſari, & te humilem experiêre; crebros actus amoris in DEUM elicere, & te amantem DEI ſenties; citra querelam, nec ægrô animô adverſa excipe, &

tolerantiam tenes, multa caſtigatione corpus affice, & mortificationem tibi domeſticam effeciſti. Sine, ANIMA, ut tantillum ſuperaddam. Ante omnia te monitam velim, quantò virtutis executionem in longius diſtuleris, tantò amplior difficultas ſe offeret, tantóque minus onus & opus different; ſicut ex adverſo, quò frequentior eris in virtutum exercitatione, eò major ultro volenti, valentíque facilitas accreſcet.

V. *Tertium medium. Actus ejuſdem interiores & exteriores exercere.* Si celeriter virtutem conſequi velis, internis ejuſdem actibus oportet ſimul intendere, ídque variis per diem temporibus, ac præprimis ſub Oratione; tum ejuſmodi virtutis actus tam crebrò iterabis, ut, ſi fas ſit dicere, veluti manu contingas, eandem in tuo corde radices egiſſe. Hoc medium quàm pronum, tam facile cernitur; cùm

hoſce

hoſce actus elicere poſſis, quando libitum fuerit, neque alio opus videatur, atque modica attentione, ut tibi memoriam refrices; accipe rem in exemplo: Per actus internos te ad infimum dejicies, ſi in conſpectu DEI penſitaveris tuas miſerias, tuas imperfectiones; ſi in cognitionem veneris, te viribus tuis nîl poſſe, ſi in mentem reduxeris tua peccata, atque inde incitamenta te extremùm demittendi, &c.

Par neceſſitas exigit etiam externis actibus talem virtutem conteſtandi; ut humilitatis ſpecimina des, cede aliis ſpectabiliorem ſtationem, terræ oſculum fige, pectus tuum pulſa, honores ultro oblatos renue, &c. idem ſentiendum de pœnitentia, neque huic ſatisfactum puta, ſi grande ejus deſiderium concipias, tibi oppidò neceſſariam intelligas, & multis precibus à DEO contendas, &c. Tuis oculis,

lis, tuo guſtui, ac reliquis ſenſibus, ubi ſe cunque occaſio obtulerit, vim facito, cibi parſimoniam, afflictationes corporis, ac conſimiles mortificationis actus, qui afforis parent, ne neglige.

VI. *Quartum medium. Oratio Mentis, & Oris.* Quisquis prolixiori tempore ſecum perpenderit rei alicujus neceſſitatem, pulchritudinem, & utilitatem, facilè adducitur, ut toto affectu in illam feratur, eíque adhæreſcat; haud ſecus dicendum venit: poſtquàm multa meditatione dignoviſti virtutis præcellentiam, neceſſitatem, commoda; JESU Chriſti, & Sanctorum exempla, ceu totidem pretioſa ſanctimoniæ veſtigia, pronum erit, ut eandem in tuos uſus convertas, atque opportunitatem ejus exercendæ ambabus, ùt ajunt, manibus complectaris. Quare tibi conſultum velim, ut in Orationis, quæ mente fieri amat, materiem crebriùs

briùs assumas modò hanc, modò illam virtutem, quo fiet, ut tot, támque potentium considerationum subsidiô tuum cor sentias accendi ad illas obtinendas, & jugiter exercitandas.

Memini superiùs, iis etiam precationibus, quas lingua enunciat, utendum esse. Quod tibi minimè dubium autumo, ANIMA: nôsti enim, ut quis seipsum, ac virtutis arduitatem exsuperet, ingentibus animis opus esse; proinde dum ore precamur, dum sacræ mensæ adsumus, imò sæpiùs per diem, DEUS orandus erit, ut vires sufficiat reportandæ de nobis victoriæ, & gratiam addat perficiendæ in nobis virtutis.

VII. *Quintum medium. Examina.* Qui frequentiùs se reflectit, utì per discussiones fieri amat, cupitæ virtutis particeps redditur. Unde non modò in vitia, sed etiam in virtutes inquirendum est, scilicet

quantum in iis profecerimus, quæ occaſiones, quæ media ſe exhibeant iis potiendi. Neque è voto meo feceris, ſi ſub veſperum, dum in univerſum conſcientiam diſcutis, id unicè agas; optarem te peculiari examine in certam virtutem in tendere, nimirum 1.º finita ſub Auroram precatione fortiter tecum conſtitue hanc virtutem per diem exercere. 2. Si quæ opportunitas hujus exercitationis adfuit, â te tamen neglectui habita, illico à DEO veniam pete, manum pectori admove, aut JESU nomen effare, &c. 3. In generali diſcuſſione, quam ſomno præmittis, vide minutatim, quos in hac virtute progreſſus feceris, prævide occaſiones, in quibus licebit propoſiti tenaciorem eſſe, confer heſternam diem cum hodierna, ut rationes profectûs ineas, novâque ſemper firmitate decerne, nihil intentatum relinquere, quod tibi neceſſarium,

ſeu

ſeu utile noveris, ut perfectioni hujus virtutis propiùs accedas.

VIII. *Sextum medium. Vincere impedimenta, quæ huic virtuti oppo-nuntur.* Quædam in genere, quædam in ſpecie virtutem præpediunt, ad alteram claſſem ea revocanda ſunt, quæ tibi congenita habes, tuæque propenſionis propria. Si tuômet geniô bilis prædomine-tur, quantus obex manſuetudini, & charitati; ſi ſanguis prævaleat, & molli ſis indole, hilaritati, & vo-luptatibus dedita, quantus obex Pœnitentiæ; ſi ad mœrorem, tæ-dium, & obſtinationem inclinas, quantus obex tolerantiæ objecta-tur; ſi toto naturæ impetu, deſide-rio, ac velut imperio abriperis ho-minibus placendi, téque altiùs cæ-teris evehendi, quantum ab humi-litate diſtas, quantum obſtat ei-dem! Itáque neceſſe eſt, cuncta, quæ te properantem ad meliora ſuffla minant, confeſtim tollere, pro-

penſionibus reſiſtere, naturam debellare, ac tibimet ipſi vim inferre, ſi tota mente ad virtutem aſpiras.

Primam verò claſſem illa obſtacula ſpectant, quæ magìs univerſalia, ſed non minùs vincenda, qualia ſunt: abjectio animi, inconſtantia, ſpiritûs evagatio, amor ſui ipſius, aliáque complura vitia, quibus cum nulla virtute bene convenit. Sanè magnis auſibus, & conſtanti aſſiduitate confligere decet, ne mundus ſuis obicibus prævaleat. Neque te unquam, ANIMA, puſillanimem reddat aſperitas, quæ ad ſublimiora tendentes comitatur; huc dæmonis prava intentio collimat, ut tanto authore perſuaſum habeas, tuo ſtatui perfectionem non competere, aut unius ſolùm virtutis exercitationem tibi impoſſibilem fore. Ne, quæſo, huic impoſtori aurem præbeas; DEUS ſuis gratiis tibi nunquam deerit; modò tu conatum tuum non patiaris

tiaris desiderari, sed pro viribus ad sanctiorem vitam contendas.

Finem, & ultimum punctum hisce reflexionibus addat S. Joannes Chrysostomus, inquiens: *Vis scire medium, ut sanctus evadas, dicam tibi duobus verbis*, quæ sunt, *velle, & facere.* Debes bonum velle, & fovere sincerum desiderium perfectionis; nec satìs hoc; debes etiam manum operi admovere. *Sufficit, si velis, ùt oportet, & facias ea, quæ sunt volentis.*

PRO DIE DOMINICA,
AMOR DEI.

PRimum exercitium, quod tibi propono, ANIMA, agit de amando DEO; hujus amorem tria incitamenta tuo in corde accendant.

1. *Perfectiones DEI.* Si nos alicui personæ afficimur, in qua nonnul-

læ lineæ venuſtatis, & ſapientiæ relucent; quo affectu debemus, ANIMA, in DEUM ferri, cujus pulchritudo nullum finem, cujus ſapientia nullam ſimilem, cujus bonitas nullam comparationem admittit, cujus unius perfectiones omnes omnium creaturarum infinitis modis ſupergrediuntur. Quis & quid ſive in cœlo, ſeu ſuper terram audeat ſe DEO conferre? *Quis ſicut Dominus DEUS noſter?* Pſalm. 112.

2. *Beneficia DEI.* Beneficia totidem catenas dixeris, quæ noſtra corda ligant, & nos obligant ad amandos eos, â quibus in nos bona proficiſcuntur. Quot, quantísque gratiis â DEO cumulata es? Creationem, Redemptionem, Juſtificationem, Sacramenta, inſpirationes, Verbum DEI, bona exempla, ſanitatem, opes, & ſexcenta alia tibi nec comperta quo nomine compellabis? Nunquid ergo ſanæ

næ menti consonum autumas, tam exaggeratam bonitatem mutuis in vicem obsequiis demereri ? si difficile tibi erat DEUM priùs amare, quàm suos favores in te contulisset; saltem ne cõmitte, ut ei tuum amorem neges, postquàm prodigia divini amoris, & mirabiles effectus liberalitatis es experta. *Si amare pigebat, redamare non pigeat.* Augustt.

3. *Excellentia Charitatis.* Hæc omnium virtutum Regina jure dicitur; hæc nostræ perfectioni mensuram statuit, nostris actionibus pretium addit, corda nostra à creaturarum prosecutione avellit, ut DEO intimiùs uniat. Hujus absentia nos juratos DEI hostes, hujus præsentia arcta necessitudine DEO junctos efficit. Tandem quod è mente S. Augustini dicendum, ac sentiendum est, fides sanctimoniæ nostræ fundamentum præbet, spes additamentum, sed charitas summum perfectionis incrementum. *Domus DEI*

credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.

En modum inſignem hanc virtutem opere conteſtandi, ísque definiatur ſequentibus.

I. *Cogitare de DEO.* Quòd cor alteri ſincerè addixeris, ſignum eſto, ſi memori mente dilectum reponas. An de DEO cogitas, ANIMA? An perſæpe tuum ſpiritum ad eundem levas? An non plus æquô te implicas negotiorum tumultibus? Ah quodnam dedecus, jugi memoria repetere creaturam, quam amas, hanc deſignationem, illud negotium, aut aliquam relaxationem; & horas, imò integros dies tranſigere, quin ullum cogitatum DEO conſecres? Ah in eum tuos amores converte, qui hos præ omnibus meretur; crebriùs per diem hujusmodi actus elice, & flammas divini amoris tuo in corde conſtanter adauge.

II. *Loqui de DEO.* Meditamur, quid-

quidquid amamus; ſed non minùs, quod quis amat, loquitur. Quæro ex te, ANIMA, quos communiter ſermones miſces? an potiùs de nugis ſæculi quàm de cœleſtibus? Tanta tibi verborum vis & copia ſuppetit, de objecto amato differendi; & ſterilem adeò linguam præ te fers, cùm de DEO loquendum. Si vero amore DEI flagrares, quàm pronum foret te crebriùs audiri de eo loquentem, & te cum voluptate audire de eo loquentes.

III. *Agere pro DEO.* Poſtquàm DEO cogitatus & verba dicâſti, oportet, ut etiam actiones ſuperaddas, neque alio, niſi Numinis amore, te ad illas patiaris induci. Si JESUS Chriſtus ex te percontaretur, ANIMA, quem in finem labori aduſque defatigationem vacas? an mei, vel vanitatis causâ, an ut ſenſui indulgeas, aut hominum placita ſecteris; quid eidem

reponere posses, quid deberes, quid velles?

Itaque nullum opus deinceps aggredere, quin illud ad sublimiores fines dirigas, dicendo: *Mi DEUS, hoc fiat, ut tibi placeam; hoc fiat tui amore, & propter gloriam tuam.* Hanc intentionis puritatem nemo satìs commendaverit, utpote quæ omne pretium nostris actionibus conciliat.

IV. *Pati pro DEO.* Quanta facilitate amicum securum jubemus de nostra dilectione? sed verba erunt nîl proficientia, nisi simul pro eo, in quem ferimur, dura quæque feramus, testatúmque faciamus, amicitiæ nostræ fidem habendam esse. Si DEUS tibi immitteret aliquam vilipensionem, aut ægritudinem, aut fortunarum jacturam, aliámve afflictationem, ne impatientis animi signa exhibe, sed divinam ordinationem libens lubénsque amplectere, dic eidem, sed ut mens verbis,

bis, cor ori consentiat: *Postquàm tu me pativis, volo & ego; sanctissima tua voluntas mecum, & â me impleatur; quàm optarem, ô mi* DEUS, *plura & graviora amore tui tolerare!*

Cùm tibi aliquid molestiæ impendet, aut acerbus dolor incumbit, nè dic mœsto cum spiritu, aut ex corde amaroris pleno: *O! quid faciam? oportet me denique hoc velle, siquidem* DEUS *sic vult.* Si in hæc verba te non animat spiritus ad omnem DEI nutum compositus, cor tranquillum, & placabile; tantum abest, ut te supremæ voluntati conformem præstes, ut potiùs animum omnis doloris impatientem palàm facias. In adversis casibus illius providentiæ memento, quæ cuncta moderatur, téque malis sinit impeti, ut optimam tibi sortem inde eruat. Quare in hos gemitus tum erumpe: *Verum est, mi* DEUS, *quòd hic calix sit multùm amarus, & quòd hæc calamitas acerbè penetret;*

netret ; ſed cùm tu decreveris me affli-gere, cum gaudio id ratum habeo ; pa-tiar, mi DEUS, patiar, cùm tu ita velis.

V. *Amare id , quod ille amat.* Quid eſt DEO in ſumis amoribus, quid in ampliſſimis deſideriis ? ſanè non aliud , quàm ut ejus ſanctæ voluntati per omnia obſecundemus. In hoc ſita eſt perfectio noſtra ; non ut grandia quæque contra ejus arbitrium operemur,& arbitratu noſtro agamus,ſed ut nitamur ea exequi,quæ,& ſicuti vult DEUS. Non ergo noſtras propenſiones , noſtra commoda, noſtrum genium conſulamus ; Neque in actibus noſtris oculum intendamus ad noſtras delicias, ſed ad beneplacitum DEI ; avida ſemper aure excipiamus,quid â nobis exigat , & generoſo auſu in opus redigamus.

Præterea DEUS amat, & in pretio habet, imò in id tota voluntate contendit, ut amorem , quem ei addiximus , peculiari quadam actio-

actione conteſtatum eamus. Aude hodiedum, ANIMA, heroica tui abnegatione, tolerantia, depreſſione, ſubactione pravæ affectionis, iræ, vindictæ, & his conſimilium, tibi DEUM devincire.

VI. *Odiſſe id, quod ille odit.* Profectò nunquam amans committet, ut in amati offenſionem aliquid admittat. Qui non dubitaret exequi, quod nôſſet amico præ omnibus mundi malis diſplicere, nonne crudelis audiret? Quid DEI odium & averſionem provocat, quàm maximè? Peccatum, quod ceu monſtrum horrendum, ingens, plus deteſtatur, atque ullis vocabulis expediri queat. Proinde non illas modò, quæ animæ necem afferunt, ſed & minimas ſcelerum abominationes devita; & ſi infelice caſu in præceps abiîſti, cura, ut dolore & ſuſpiriis, ceu totidem teſtibus prodas, quantum te remordeat in DEUM ſummè amabilem deliquiſſe.

VII.

VII. *Nihil amare nisi illum.* DEUS gloriæ suæ zelator est, super omnia diligi vult, atque sui amorem omnibus creaturis anteferri. Et certè, quid æquius postulet? Perfectiones, quas possidet summas, gratiæ, quas tibi largitus est non tot, quin plures, cui non suave hoc onus imponant? Itáque â creatis rebus cor abstrahe, ut nihil sit, cui majore vehementia id affigas, præter solum DEUM. *Non ama nisi DEUM, aut si aliquid præterea amas, ama illud propter DEUM.* Ajebat S. Augustinus Utrum immodicè alicui creaturæ adhæreas, facili conjecturâ intelliges, si ejusmodi amore propellente committere, aut omittere non dubites, qualia obsequio DEI adversantur.

VIII. *Desiderare, ut ille ametur.* Zelus, quo pro DEI gloria inardescere debes, te ceu index minimè fallax in cognitionem deducet, utrum eundem amore prosequaris.

An

An tibi crebrior de illo ſermocinatio? Quis tibi fervor præpediendi, ne injuriis laceſſatur? An ope tuarum precum, verborum, & actionum confers, quantum vales, ad reductionem pravorum, & perfectionem proborum? quantum agis, ut non â te ſolùm, ſed ab aliis quoque debita DEO ſervitus, amor, adoratio pendantur.

IX. *Servire illi cum hilaritate, & fervore.* Si quid pro amato præſtandum occurrit, fieri aſſolet cum gaudio & celeritate quadam, ut nullo negotio aſſequaris, quàm volupe ſit amico obſequium impendere. Si tecum, ANIMA conſtituiſti, tuos in DEUM amores firmis probationibus conſolidare, fac ut eidem cum hilaritate, non cum mœſtitia; cum fervore, nequaquam cum tædio ſervias. Si Miſſæ Sacrificio ades, ſi precibus, laboribúsve vacas, quæ tandem cunque actio præ manibus verſetur, illud omne jucunditas, ardor,

ardor, & accuratio comitetur. Nimirum DEUS eſt, propter quem, ANIMA, laboras, cujus amore preces, aliásque exercitationes pietatis aſſumis. Fac ergo, ut quisquis te hiſce occupatam conſpexerit, te ſimul ferventem ac alacrem videat, unáque intelligat, te majorem in modum amare. Cave ſis, ne tua erga DEUM officia faſtidium corrumpat; imò velocitas tua te felicem comprobet in amando ſummo bono.

PRO DIE LUNÆ,

CHARITAS ERGA PROXIMUM.

POſtquàm noſtram erga DEUM affectionem luculentis teſtimoniis patefecimus, oportet eandem in noſtrum proximum convertere. Charitas utì reliquarum virtutum Princeps, ita

inter

inter homines ante alias neceſſaria videtur; cùm hos & illos pulcherrimo nexu conjungat, & ſi ſolam abeſſe contingat, millenas ſciſſiones in civilem ſocietatem inducat. Verùm, eheu, ANIMA, quàm rara avis in terris, proximi dilectio! Demus eum diligi, quid ſi lucri ſtudium, morum ſimilitudo, genius non diſpar hoc perſuadeant? ubi, amabo noſtris temporibus vera, ſuísque legibus deſcripta amicitia reperitur? Charitatem, illam virtutem dixero, quæ aut ultimo, aut nullo ferè loco hominibus, vix nomine ſuo ampliùs nota eſt; & tamen quot nominibus ad hanc exercendam propemodum cogeris?

1. *Ex parte DEI.* Qui in ſacris paginis hanc toties commendat, mox diſtricto mandato expoſtulat. Si quo amore DEI tangeris, hunc teſtabere charitate, quâ in proximum ardes, cùm in eo ipſummet Chriſtum JESUM intueri debeas, diſer-

diſertis Evangelii verbis proteſtantem, omne id, quod aliis impenſum fuerit, ita acceptum iri, quaſi ſuæ perſonæ obtigiſſet. Verùm an penitius advertis bonitatem DEI, qui nos ſuos fratres appellat? quem non amorem hoc uno titulo noſtris proximis debeamus? *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Matth.

2. *Ex parte proximi.* Hunc amorem negare quî poſſis, cùm ſit frater tuus? Quomodo non ames eum, qui eodem tecum ſanguine vindicatus eſt, iisdem tecum ſacris myſteriis fruitur, neque ſecus, ac tu in ſpem venit æternæ beatitatis in cœlo. Ah oportet, ait S. Bernardus, tam tenero ejus affectu ſuccendi, quali Mater ſuis prolibus addicta eſt. Vide, quanta charitate mille obſequia eis dedicet, vide, qua tolerantia earum errata ferat, conſidera quibus eas blanditiis demulceat, quàm nihil eis neget.

get. *Charitas hominum Mater eſt, ſicut filios diligit univerſos.*

3. *Ex parte tui ipſius.* Ingens merces, quæ charitatis cultores à DEO manet, ad hanc virtutem quos non ſtimulos tibi addat? Quando JESUS Chriſtus in eo eſt, ut ſententiam æternæ ſortis, aut mortis ferat, nullis retro ſæculis revocandam, veluti cæterarum virtutum oblitus, unicè in quæſtionem vocat, an quis proximum ſuæ amicitiæ, egentem ſuorum bonorum participem fecerit. Mox paradiſi gaudia iis adpromittit, quibus charitas cordi fuerit; & inferni flammis eos adjudicat, quibus illa abfuerit. Tua quoque res, tuum commodum agitur, ANIMA, ſi charitati aſſueſcas; nam quo affectu alios complectêris, eodem tibi occurſuros crede, & quibus eos obſequiis devincire ſtudueris, iisdem tibi reſponſuros ne dubita. Diſce ſummum arcanum, ſecretam artem,

te

te reddendi amabilem : *Si vis amari ? Ama.*

Quocire hanc virtutem exerce in ſequentibus.

I. *In tuis Cogitationibus.* Nihil in cogitatu tuo unquam admitte proximo noxium, neque ſuſpicionibus, aut judiciis temerè de eo conceptis te abripi ſine; cùm ſimilia ſe ultro memoriæ ingeſſerint, toto ſpiritu propulſabis, dicendo : *Ego ſum adeò perſpicax in cernendis aliorum defectibus, & domeſticos mihi errores nullatenus video, nec agnoſco.* Homo charitate plenus de univerſo mundo bene ſentit, cúmque ad vindicias rei geſtæ nîl valet prætexere, ſaltem intentionem operantis in melius accipit. Nîl magìs uſuvenit, quàm de aliis ſtatuere è genio noſtro, & ſi contingat nos vitioſis propenſionibus, aut projecta in malum voluntate ſcatere, facilè inducimur, ut credamus, alios noſtrûm

ſtrûm ſimillimos, neque aliò, quàm pede noſtro metiendos eſſe.

II. *In tuis Verbis.* Ebeu, ANIMA, quot hæc aculeis, quot vulneribus in Charitatem ſæviunt! Ille ſuis ſermonibus injurias, contemptum, & furias inſerit, nunquam hæc vindicaturus, quidquid excuſationis locò obtendat. Alius jocari facilis, alienis impenſis ſe oblectare amat, acerbis ſalibus obvios quosque petit, nec penſi habet, omne, quod animus propinat, liberiore lingua producere, modò ſuæ paſſioni ſatisfaciat.

Spiritus facetiarum amans plurimùm officit, ac peculiari curâ vitari debet. Primò, quia nobis ipſis damnum parat, cùm ſpiritum devotionis præ omnibus aliis quàm maximè diſſipet. Spiritus jocoſus, cui familiare eſt res, ùt ùt ſerias, & ſanctas in riſum ducere, quo pacto devotionem foveat? In illo

plenè extinctam, in audientibus extinguendam quis ambigat?

Secundò Vexatio pariter obeſt aliis, cùm charitatis læſionem inducat. Sub initium faceti oris homines ſibi, & iis, quos coram habent, oblectamento eſſe cupiunt, ſubinde ſuis jocis moleſtiam cient, tantò graviorem, quantò fævior pungendi ratio it comes, potiſſimùm lites, & jurgia finẽ imponunt.

Mordacibus jocis ſuccedit detrahentis linguæ audacia; ah! quid magìs civitate donatum? quot ita comparati ſunt, ut quaſi familiari quorundam conſortio, & conſuetudine neſciant uti, nisì abſentium famam rodant, perperam ab aliis geſta in colloquium trahant, & livore, aut peſſimo genio acti tot ferè detractiones, quot verba effundant. Mox ut vitio ſuo velamen injiciant, audies prætexentes, ſe diſcurſûs, aut fallendi temporis ergò ſimilia proferre.

Quis

Quis jocus, quæ relaxatio mentis, ANIMA, proximi ſui exiſtimationem diſcerpere? Ajunt, narrationem omnem veritati conſonare, nec non lippis, & tonſoribus notam eſſe, cùm perſæpe plurimos lateat; ſed demus vulgò declamatam eſſe, an non modicæ charitatis arguendus ſit, qui in deliciis reponit, proximi ſui errata ampliùs divulgare; quæ altùm reticenda, & tegenda forent, in lucem protrahere, multóque ſibilo prolapſos excipere?

Detrahentibus proximè addendi veniunt elati, qui adversùs ſpiritum Charitatis non minùs depugnant, ac ſuperiores. Iſtorum aures offendit commendatio proximi; tantúmque gloriæ ſibi putant adimi, quantum laudis alteri tribuitur, & tam felicis ingenii ſunt in minuenda aliorum fama, quàm facilis in ſua magnificanda. Jactantia, quam domi ſuæ fovent; eis fi-

dem facit, poſtquàm Orbi compertum fecêre, omnes alios multùm deficere, jam ſupereſſe neminem præter ſe unos, quibus honor debeatur, & tribuatur. Quis hìc inficias eat invidiam, & ambitionem ſupremo gradu conſiſtere?

Cave tibi, ANIMA, ab his exceſſibus, de proximo tuo nullus ſit ſermo, præterquam bonus; neque unquam tibi verbum excidat, quod vel viliſſimo homuncioni poſſet in offendiculum cedere; de aliis tanta moderatione loquere, quantâ velles de te dici.

III. *In tuis operibus.* Abſit, ut tuo proximo damnum inferas, ſive ejus perſona, ſeu ejus bona ſpectentur; potiùs optima, quæ potes, obſequia, ac præprimis illa opera, quibus à miſeratione nomen, & commendatio eſt, eidem impende: An tibi opportunitas Charitatis exercendæ deeſt? An deſunt egeni, quos nutrias, ægri, quos inviſas, mi-

miſeri quos veſtias ? vide nè tu deſis.

Ah ! nè dixeris, hunc tuis beneficiis haud grato animo reſponſurum, illum nullas vices redditurum, falleris ; ſed demus hunc illúmve cuculo magìs ingratum, ergo ad benefaciendum amor DEI te impellat, qui gratanter cuncta reſpiciet ; tua Charitas quantò commodi ſui minùs ſtudioſa, tantò erit magìs perfecta.

IV. *Ferre eorum defectus.* Eccur tuo proximo indignaris ? DEUS te quidem tolerat, & tuorum fratrum tolerantiam tuæ imperfectiones non frangunt ; nonne rationi conſentaneum eſt, ut tu quoque eoſdem, & ab iiſdem feras. Tuomet perverſo genio te ſinis abripi, naturâ, & moribus tibi cum quibusdam perſonis non convenit, animô averſus es, unde minimi harum errores tibi videntur minimè ferendi, imò ferri non poſſe. Me-

mento illius cohortationis, qua Paulus primos Christianos instituit: *Fratres mei, ſupportantes invicem in Charitate.*

Opponis, tuum proximum iniquè agere; ſit ita, cede illi ergo totam iniquitatem, neque excandeſcentiâ tuâ te reum facito. Sed injuriâ peteris grandiore, te tui vilipenſio altiùs penetrat? facilè inducor, ut credam; itaque ad pedem crucis hoc Sacrificium immola. Quò major fuerit perſonæ illius protervia, quò profundior medias inter injurias depreſſio, dehinc eò altiùs tua gloria aſſurget, eò grandius meritum tibi accreſcet tum ignoſcenti, quando omnia præter veniam â te commeritus eſt proximus.

Recordare, ANIMA, te inter homines degere, cum iis verſari, id eſt gente, quibus non omni die idem eſt jecur; Verbum minus conſideratum facilè elabitur, hoc ſurda

aure

aure prætereas, averte ſermonem, aut in jocum converte, & cave fis, ne te læſam, vultûs, aut linguæ turbatio prodat. Si nihili facias, oblivioni dabitur ab eo, cui illud dictum efluxit, & â te, in quam cecidit; at ſi paſſionis tuæ, & amari ſenſûs indicia præbeas, â temetipſa te affligendam ſcito, recordatione illius vocis, aut actionis, quæ faſtidium accerſivit; ubi ex adverſo, ſi negligeres memoriâ, aut ore ulterius repetere, die poſtera, aut horis aliquot interjectis animum nullatenus reflecteres.

Accedit, alterum incommodum priore non levius, ac tibi indubiè obventurum, ſi quovis verbulo, quavis umbra te illico petitam credas, ac ſenſum plus æquô tenerum torvis indiciis prodas. Qui te invadunt, cùm parum virtutis poſſideant, téque facilè lædi perſpiciant, deliberato animo plura dicent, faciéntque tuam bilem augendi,

di, ac te in majorem rabiem agendi ergò.

V. *Habere Conniventiam.* Propensiones, & genius adeò differunt, sibíque opponuntur, ut vix diem dederis, qua nihil occurrat in Charitatis læsionem. Sed obtestor te, ANIMA, quæcunque occasiones gravioris etiam displicentiæ se offerant, Charitatem integerrimam servato; & quanquam aliena pravitas in partem culpæ veniat, imò omne punctum malitiæ ferat, nè unquam signis hoc palàm facito. Submitte animi tui sensa aliorum judiciis, & si quando â tua opinione recedatur, nè saniora quidem cum pertinacia tuere: Quid proderit te torqueri rebus, quæ vires tuas excedunt, nimirum quòd nequeas quosdam in tuum sensum pertrahere? Imò etsi hoc tuæ facultatis esset, nunquam facere conveniret cum dispendio charitatis; pax enim cunctis rebus præhabenda est.

VI.

VI. *Habere zelum.* Exiguam commendationem meretur, tuo proximo de bonis Corporis prospicere, nisi simul animæ commoda cures, & procures. Bonis eidem consiliis adesto, cum charitate in eum animadverte, afflictum solatiis refove, verbis, & exemplis erranti meliora suggere, multis cohortationibus pietatem inculca, DEUM pro eo deprecare, illius animæ salutem in primis curis habeto.

VII. *Gaudere de aliorum progressibus.* Si tuo proximo, velut tibi ipsi amorem tribuas, ejus prosperitas tibi lætitiam, ejus incommoda mœrorem parient; sed edissere, ANIMA, nonne contrà evenit? nunquid tristitiam persentiscis, siquis bonus successus tuo proximo, gaudium verò, si quæ sinistra sors, aut depressio obtingat? Deinceps tibi meliùs invigila, neque invidiæ stimulis locum præbe; quin potiùs læ-

lætitiis incede, ſi proximo tuo cuncta è voto fluant; etenim in hoc ſita eſt teſtificatio amoris, quem eidem debes; luctum indue, ſi cum adverſa fortuna conflictantem videas, ſolare pro viribus, miſero ſuccurre, & ſi id nequeas, compaſſione minimùm ne deſis.

VIII. *Vincere ſuas Averſiones.* Nîl magis uſitatum videtur, quàm nos à nonnullis perſonis, ſeu genio, ſeu aliis ex capitibus averti, utì quibusdam ſuâpte naturâ afficimur, & occultâ vi affigimur. Id quod integrè â ſe removere tantò difficilius, quantò magis nobis congenitum, ſanguini perſæpe, & humoribus magnâ parte inditum eſt; ſed omnes nervos intendere oportet ANIMA, nè exterior homo ullo unquam ſigno indignationis hoc præſeferat.

Averſionem in te intuere, ceu efferum animal, quod catenis tenetur; donec ferrum non remittas, nul-

nullum omnino malum inferet; at ubi primùm leviorem manum, aut vincula minùs arcta ſenſerit, heu, quot, quantísque incommodis te, orbémque univerſum è veſtigio invadet! Donec averſionem animi tecum natam & adultam, quaſi carcere concluſeris, ut in apertum nullo indicio erumpat, nocumentum ne metue, modò ejusmodi cogitatus deliberata mente non foveas, & motiones furoris indices in herba ſupprimas. Verùm ſi vel ſemel tuæ averſioni frœnum, indulgeas, eíque pro poteſtate præcipienti morem liberè geras, heu quàm cumulatis ſceleribus te exiguo tempore implicitam gemes! Quare author tibi ſum, ut cum tolerantia in aliis feras, quidquid tuos oculos offendit; neque verbis, aut ſignis manifeſtum facies, quàm averſo ſis animo erga hanc illámve perſonam, etſi ingens cauſæ æquitas id admitteret, aut etiam poſtula-

 ret.

ret. Atque hoc eſt, in quo virtutem tuam præprimis elucere oportet & decet.

Priùs, ac finem imponam, venit mihi in mentem cujusdam illuſionis, quam tibi, ANIMA, deſcribendam, ac majorem in modum vitandam duxi. Aliquis tibi moleſtiam ciet, conformatis ad omnem ruſticitatem moribus occurrit, injuriam verbo, factóve inurit, aut tuámet indole ab hoc homine abhorres; quî tu poſt hæc eundem excipis? an eadem, quâ ſuperioribus diebus, conſuetudine erga eum uteris? an crebriùs, qualiter ſolebas, ad eum inviſis? an paribus ùt antehac, officiis eum prævenis? Quid ſi ejus conſortium ſtudiosè devites, nihil obſequii dehinc impendas, quàm longiſſimè te ab eo removeas? ſin ita; aut mea me fallit opinio, ANIMA, aut veriſſimum eſto, amicitiam tuam, non DEO & ſpiritui, ſed naturali inclinationi,

aut

aut domeſticæ utilitati innixam fuiſſe. Si illa bonitatis ac veritatis legibus ſtetiſſet, næ tu hanc perſonam omnibus obſequiis non confeſtim excluſiſſes, neque ùt juratum hoſtem averſareris.

Et certè, an ad inſtauranda amicitiæ & charitatis fœdera, quæ te inter & hominem illum vigebant, aliquid conferat, te ab eo elongari quàm maximè, & data quavis opportunitate gliſcentem indignationem palàm teſtari?

Quò longiùs ab eo receſſeris, quò luculentius vindictæ ſitim prodideris, eò graviori augmento difficultas aderit, nè dicam impoſſibilitas, nova conſenſione utrumque jungendi. Quod ſi ex adverſo neque obſequiorum proſecutionem, neque ſigna omnibus ferè amicis communia neglexiſſes, laudi & lucro tibi ceſſiſſet exercitatio tantæ virtutis, quin & perſona, cui illatæ offenſæ ergò in-

 fenſa

fenſa es; fortaſſis hæc animum ſuum ingreſſa in agnitionem ſuæ temeritatis veniſſet, ſuavi tuo agendi tenore invitata, quam prius tecum amicitiã coluerat, ultro ambiviſſet.

Verùm, quidquid utilitatis inde emergat; hæc perſona tantum abeſt, ut errorem agnoſcat, ut potiùs in ſuo malo frontem perfricet; ita tu mihi objectas. Nihilo tamen minùs author tibi ſum, eidem tolerantiâ & charitate occurrere non deſinas. Quantum illa debito ſuo defuerit, tantum tibi meriti & gloriæ accedet, ſi tu conſtanter tuo feceris ſatis.

PRO DIE MARTIS,

ORATIO.

EXercitatio, quam hac die â te ſuſcipiendam cupio, completitur Orationem, cùm deſerviat in ſingulare remedium.

1. *In*

1. *In noſtris Languoribus.* Nunquam majori in DEUM ardore fertur voluntas, nunquam ampliori è cœlo lumine colluſtratus intellectus, nunquam cor noſtrum affectui erga creaturas ſe magìs ſubducit, DEO arctiùs uniendum, quàm cùm Orationi vacamus. Hæc ſacratiores flammas refert, quibus ſe viciniorem reddere neceſſe eſt, quoties ſe tepor aliquis in ſpiritum penetrat; tum enim ſi unquam aliàs, in novos auſus & animos ſe quisque impelli ſentiet, ut totum ſe DEO dedat. *In meditatione mea exardeſcet ignis.* Pſalm.

2. *In noſtris perturbationibus.* Cùm in occurrentibus actionibus diei, & variis negotiorum tumultibus ſæpe fieri poſſit, ut ſpiritûs recollectio, ac cum DEO unio nequidquam imminuantur; ad mentis precationem, ceu parvulam ſolitudinem ſecedendum eſt, ubi mens antehac diffuſa ſibi opportunè redditur,

ditur, & cogitatus in omnes partes diſperſi congregantur. Quòd noſtra ætate tanta morum licentia, tot in bono defectiones, tam immania ſcelera per orbem vigeant, neglectui internæ Orationis unicè tribuendum eſt. *Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt, qui recogitet corde.* Jerem.

3. *In noſtris neceſſitatibus.* Si quæ neceſſitas tuum ſpiritum, ſi quæ corpus premat, ab Oratione ſubſidium cape; ſi quæ tentatio, ſi quæ afflictio, ſi quæ indigentia rerum te quatit, ad orationem recurre; ſi huic cum fiducia, ac fervore inſtiteris, voti tui, quod illud cunque ſit, certò damnaberis. Robur, conatus, totáque vis hominum, nunquam tantum proderunt, aut poterunt, quantum unus homo precationi intentus; id quod S. Joannes Chryſoſtomus egregiè deſcripſit: *Nihil potentius eſt homine orante.*

I. *Statutum tempus pro Oratione habe-*

habeto. Certas tibi horas, aut momenta orandi conſtitue, quæ nulla non dies ſibi hunc in finem ſeparata vendicet. 1.° Omnis Aurora te orantem videat, & noctur-næ quieti preces quoque præmitte. 2. Quartam, ſeu dimidiam horæ partem, quantam ſtatus tuus, & occupationes indulſerint, penſitandis fidei, morúmque regulis impende, meditationem alii appellant. 3. Quot diebus Miſſæ Sacrificio interſis. 4. Roſarium, Officium, &c. rite perſolve, ac diem exacta mentis diſcuſſione claude.

II. *Interdum per diem.* Relictis tantisper laboribus, & conſortiis domi tuæ coram privata ara, aut in Eccleſia in genua provolvere, perbrevi, & ardenti precatione novas vires, novásque gratias depoſce, tua ſtudia, tuos conatus laudabiliter proſequendi. Præ omnibus hæc præſtabis, ſi tentatio urgeat, ſi pulſet afflictio, ſi in quempiam erro-

errorem prolapsa es; sub finem actionis, quam major dissipatio Spiritûs subsequi solet, v g. conversationis, &c. tum Orationi, & interiori recollectioni vacabis.

Quovis mense diem unum delige, quo te omnibus curis sæculi subtrahas, téque ipsam severiori disquisitione inspicias; neque absre fuerit, singulis annis octo continuos dies, negotio ANIMÆ, & reformationi spiritûs impendere.

III. *Recollectio, & Præsentia DEI.* Nequaquam, ANIMA, expedit, negotiis penitus immergi, aut corde adeo affigi, ut illud per intervalla ad DEUM levandi nec otium superet. Etsi tum ecclesiam non adeas, etsi confabulatione, aut labore distinearis, DEUM ubique præsentem coram te, ac te coram illo statue, interiorem hominem sibi quasi denuo redde, cum DEO pertracta, dicendo: *O mi JESU, supremâ adoratione dignissime, tui causâ*

sâ omnia fiant; O mi DEUS, amo te ex toto corde meo; ah laboraxti tuam benedictionem impertire!

Princeps exercitatio, cui insudare debes, ANIMA, esto, ut DEUM tibi præsentem mentis oculis crebriùs objicias, cunctísque actionibus tuis assistentem contempleris. Experimento doceberis, quantum utilitatis inde enascatur, quanta efficacitas lateat, spiritui amissam nonnihil quietem conciliandi, te obfirmandi contra insultus, atque ad sanctum fervorem in omnibus operibus animandi.

Sanctum Ignatium imitare, qui ex singulis, quæ ei obversabantur, ad DEUM assurgere novit. Si videas elegantem formam, dic: *O quantum pulchritudo DEI, & Angelorum hanc excedit!* Si cœlum aspicias, dic: *Ah! quando illuc perveniam?* Si ignem coram habeas: *Ah! non est nisi umbra ignis infernalis; quot millenis gradibus hic sæ-*

viùs

viùs ardebit, & uret. Si quid pateris: *Paradiſus valet omnia.* Si quæ injuria tibi infertur: *Adhuc plura, & graviora commerui.*

Alia vice eleva tuum cor ad DEUM per actus internos, v g. amoris in DEUM, ſpei, oblationis, deſiderii, petitionis, & per conſimiles, qui omnem ſpiritûs evagationem præpediunt, mentísque collectionem familiarem faciunt.

Neque putes prolixiorem temporis moram huc requiri; momento opus eſt, ut horũ actuum unum aliquem, unam ejusmodi elevationem ſpiritûs perficias. Unus ictus oculi, unus geſtus, unum ſuſpirium, verbum unum ſufficit, ut DEO cordis tui intima pandas, teſtatúmque eas, quàm avidè anheles eidem placere.

IV. *Attentio.* Tuæ Orationi, ANIMA, ſemper comes ire debet ingens attentio, nec minor reverentia. Devita evagationes mentis, eásque promptè juxtà, ac fortiter

titer repelle, quin unquam tædiô afficiaris, etſi intra quartam horæ partem centies redirent. Neque earum impetus tuum animum proſternat; fervor, quem precationi adjunxeris, multum conducet, ut illas omnibus tuis limitibus proſcribas. Quod ſi, nîl proficiente totâ induſtriâ, & contentione, novo ſemper tumultu inſurgant, continuò eis clypeum oppone, generoſam rejectionem, & parem contemptum, quò fiet, ut nullam tibi perniciem afferant, & merita cumulatè adaugeant. Sed cave ſis, ANIMA, ne tua remiſſio, oculorum diffuſio, pietatis exile ſtudium, quibus ad orandum te comparas, eis aditum parent.

Cæterà, ut te precantem debita attentio, ac fervor non deſtituant, conſilium, quod potes, optimum tene; pro virili dabis operam, ut præſentem DEUM non interrupto mentis oculo contuearis.

Ah!

Ah! ANIMA, ſi orantes DEUM adſtantem, nósque proſtratos attenderemus, quanto quisque noſtrûm, amore DEI arderet, quo igne ſuccenſus in DEI obſequium provolaret!

V. *Reverentia.* Externus corporis habitus ad omnem modeſtiam conformatus devotionem, & attentionem ſpiritûs ubertim promovet. Magnitudo DEI, cui loqueris, & conditio tua, quâ partes orantis ſuſtines, te jubent profundæ reverentiæ, & exactæ compoſitionis ſatagere, qualis tam tibi, quàm ſingulis te ſpectantibus, incitamento ad devotionem eſſe poſſit. Si flexis genibus, dejectis oculis, junctísque manibus preces fundis, tuas citiùs audiendas crede, ac illius, qui ſancto huic operi omnis modeſtiæ immemor ſe accingit.

Preces, quas ore enuncias, ne præcipite lingua effunde. Quid tibi, ANIMA, feſtinationem imperat?

rat? An citra fastidium DEUM non affaris, & vel ideo, quò citiùs vales, omnem cum eo sermonem finire properas; vel an verbis imperfectis orationem constringis, ut alteri occupationi te velociùs reddas? Dic, amabo, quod tibi negotium majoris dignitatis, aut commodi instare possit, quàm precibus vacare, iis præsertim, ad quas lege obstringeris?

Quosdam recensere licet, qui tantâ velocitate preces decurrunt, ut nec spatium nanciscantur pensandi ea, quæ labiis efferunt. Videntur suas horas recitare, non ut DEUM orent, ac honorent, sed potiùs, ut onere se liberent, quod eis injecit debitum, certum Orationis pensum persolvendi. Anne admirationem meretur, si tales ab Oratione recedant, quales accessêre, nimirum sinè sensu pietatis, sinè ulla devotione.

VI. *Unio cum* DEO. Aspirandum

dum est, ANIMA, ut cogitatus, & affectiones intimâ unione in DEUM transferas: Eo pacto â creaturis te avulsam esse oportet, ut nullum amorem, nullam propensionem noveris, nisi erga DEUM.

Si magnis passibus in hac unione proficias, cogitationibus tuis minùs versaberis inter creaturas, ut easdem crebriùs in DEUM defigas; quidquid benignæ, vel adversæ sortis tibi obtigerit, nîl tuum animum afficiet, utpote, qui omnem suam prosperitatem in DEO repositam habet. Tempus precationi destinatum, tibi horas gaudiorum revehet, & sola voluptas, hoc nomine digna, erit cum DEO communicare, unum tædium, Orationis tempora adeo celeriter effluxisse. Inter orandum Tuus spiritus in DEO plenè absorptus te tibi eripiet; inter operandum, & per diei decursum cor tuum senties arcanis vinculis ad DEUM trahi,

trahi, & cœlesti ejus amore succendi. Tandem, ut paucis complectar omnia, summis lætitiis incedes, si quando occasionem nacta fueris pro eo agere, aut pati, cui cor tuum integrè devovisti, & quîcum tibi singularis unio intercedit.

Atque hic est ille status beatitatis, quam, utì vides, ANIMA, amantibus, & orantibus inchoare licet in terris; multis itaque votis eò contendere debes. Interim in brevem syllabum ea coëgi, quæ hanc unionem præpedire solent, ut discas odisse, ac fugâ declinare

1. Se plus æquo immergere negotiis, & admittere, ut quis laborum copiâ obruatur.

2. Nimio ardore, & propensione ferri in aliquod objectum; certè id, cui tantum afficeris, oranti centies memoriam refricabit, & attentionem auferet.

3. Plusculùm esse effusum ad ex-

exteriora, verborum nimis prodigum, & avidum cuncta videndi, audiendíve.

4. Fovere affectionem, quæ ante alios dominatur, v. g. amoris, averſionis, &c.

5. Nulla ſolicitudine minora errata prævertere; hæc, atque horum ſimilia unionem cum DEO, & guſtum in Oratione aut tollunt, aut non admittunt. Memento illius diverbii, è ſenſu Patrum celebratiſſimi: *Talis eris in Oratione, qualis extra Orationem fueris.*

PRO DIE MERCURII,

FIDELITAS DIVINIS GRATIIS DEBITA.

QUî factum putes, ANIMA, quòd ſancti perfectionem, & cœli gaudia conſecuti ſint? Nimirum, cum fidelitate reſponderunt gratiis, quibus illos DEUS

DEUS cumulârat, ſéque curârunt in eo ſtatu perfectos reddere, ad quem illos DEUS vocârat.

1. *Eſto in ſtatu, in quo te vult DEUS.* Quomodo ad cœlum tendere poteris, niſi viam teneas tibi â DEO deſignatam? Quam ob rem ſiquis ſtatus, ſiqua conditio tuæ optioni relinquitur, etiam atque etiam â Spiritu Sancto lumen deprecare, ne ſolùm deligas, quod diligis, ne tuomet geniô, commodô, vel timore ad ſuffragium ferendum deſcendas, ſed ſaniorem mentem, motiones Gratiæ, & ductum probati moderatoris ſequaris. DEUM obteſtare, ut te in agnitionem ſupremi beneplaciti jugiter deducat. *Doce me facere voluntatem tuam.* Pſalm.

2. *Obligationibus ſtatûs tui ſatisfacito.* Nullum dabis hominum genus, nullam ætatem, nullam conditionem, quæ Sanctorum numerum non recenſeat. Nec unquam cauſeris, ceu tui ſtatûs ratio æternam

nam ſalutem oppidò difficilem reddat; nam quemadmodum vocante DEO hunc cœpiſti, ita eô juvante non deerunt media progrediendi. Cura omnia, quæ ad DEUM, ejúsque obſequium pertinent; cura ſingula, quibus te ſupremus arbiter occupari vult; te tuáque curaturum dehinc ne dubita. *Facite quod DEI eſt, & ipſe faciet, quod veſtrum eſt.* Gregor.

3. *Satage creſcere in omni genere virtutum.* Parum erat Sanctis opera lege ſancita exequi, niſi complura alia, tanquam libertatis ſuæ pientiores fructus ſuperadderent; DEUM intus loquentem ita audivêre, ut ad novos identidem virtutum gradus, & majora in bono augmenta ſuaſorem ſimul, ac ducem ſectarentur. Itaque horum veſtigiis audacter inſiſte. O te fortunatam, ſi nulla tibi dies absque nova linea ſanctimoniæ elabatur! *Felix, qui quotidie proficit.* Hieron.

Si

Si haſce exercitationes intendis in opus reducere, contende

I. *Cognoſcere voluntatem DEI.* Hìc primus pes â te figendus eſt, ac dicendum cum S. Paulo : *Domine, quid me vis facere* ? Non modò in univerſum, cùm vitæ ſtatus in deliberationem venit, ſed etiam in peculiaribus quibusvis actionibus, in diverſis, qui ſe offerunt, caſibus ex DEO quærendum eſt, quid â te velit, quid præſtoletur. Similiter à DEO flagitare debes, ut tibi facem præferat illam de nomine virtutem intelligendi, quam ſingillatim â te exigit, & quaſi bonæ viæ, vitæque tuæ initium ſtatuit, unde te ad ſublimem perfectionem evehat.

II. *Cooperari bonis inſpirationibus.* Poſtquàm DEI voluntas tibi probè perſpecta eſt, ad ejus executionem ingentibus animis greſſum facere oportet. Quem fructum tuliſti ex tot colluſtrationibus, quæ DEUS in tua mente accendit, ex tot ſanctis

ctis affectionibus, quas in tua voluntate fecit enaſci? Dicam ego, ANIMA, ſed ad erubeſcentiam tuam. Si iisdem gratiis, quas in te profudit, DEUS alios dignatus fuiſſet, quantò minus illas prodegiſſent, ac tu, quantò magis cum illis profeciſſent, ac tu, quantò altiorem ſanctimoniam contigiſſent, ac tu.

Ne DEO tribuendum puta, quòd nondum prima rudimenta pietatis egreſſa ſis, ſiquidem copioſis mediis tibi auxilio eſt. Horum rarus aut nullus uſus ad tuam culpam ſpectat; &, quæſo abs te, recordare, te olim ad quæſtionem vocatum iri, non modò ſuper gratiis, quas contemptim neglexiſti, ſed ſuper iis etiam, quas tibi dudum paratas DEUS liberaliter impertitus fuiſſet, ſi primis pro debito reſpondiſſes. Deinceps majus emolumentum cape ex iis, quæ tibi DEUS in aurem, & animum locutus fuerit.

III. *Neque eas contemnere, quomodocunque parvæ sint.* Si tibi perspicuum foret, quantum pretium insit his gratiis, & bonis cogitationibus, quas neglectui habes, profectò eas minimè inutiles, verùm majoris faceres. Memorem te velim illius doctrinæ. Quemadmodum una gratia attrahit aliam, & postquam primæ assensum dedisti, DEUS illico secundam largitur; ita contemptus unius gratiæ, cùm eandem repellis, te semper magìs indignam reddit gratiis, quarum te DEUS continuata serie voluisset participem.

IV. *Discernere Spiritus.* Cave, ne dæmon angelum lucis indutus tibi spiritum suum persuadeat quasi à DEO profectum: minùs bene discutere cogitationes, iisdem abuti, aut crebrò sibi ipsi blandiri heu quàm commune est.

Vide, quantùm tuâ interfit, ANIMA, quando occasio suppe-

tit exercitandæ abdicationis, demissionis, charitatis, tolerantiæ &c. Aliquis tibi fucum facit, téque animum inducere jubet, quasi hic actus virtutis nec possit, nec debeat modò executioni dari; hoc tempus non congruere, alia vice meliùs factum iri, difficultatem esse immodicam &c. atque sic nullum morem geris inspirationi, quæ te ad hocce bonum provocat, sed audis spiritum orco genitum, qui te dololo obtentu inde retrahit. Imposterum ne crede colori, ne fide suggestioni.

V. *Sequi Consilia Directoris.* Cœci sumus, & duces cœcorum, ANIMA, si nostro solùm lumine, ac ductu nos viæ committimus; consule eum, qui tibi â confessionibus est, téque regendam suscepit, nam DEO bene vertente fiet, ut veras illustrationes â falsis feliciùs dignoscas. Huic semel quot mensibus fidenter detege mentis tuæ abdi-

abdita, tentationes, difficultates, afflictiones, devotiones, quem in virtutibus profectum feceris, in quæ errata magìs defeceris, quî te in Oratione habeas, quam temporis divisionem teneas, quam domesticis curam impendas, quam stipem in pauperes dispertias, quî muneris tui partes adimpleas, quos favores, quos pios sensus tibi DEUS indulgeat.

VI. *Suo debito bene satisfacere.* Inquire, quantùm tibi curæ sit tuo debito satisfacere. 1. *Erga DEUM.* Utì DEUS cunctis eminet, ita ejus obsequium omnibus anteferendum est. Vide sis, an remissio, aut celeritas exterioribus rebus intenta, nunquam te adducat, ut aliquam spiritûs exercitationem intermittas. 2. *Erga te ipsam.* Quis prægrandem dementiam non diceret, sui ipsius oblivisci, ut memoria convertatur ad alia? An tibi cordi est, in singulos dies virtutes augere?

re? Tuisne actionibus finem & regulam statuis consummatam perfectionem? An munus tuum examussim adimples? 3. *Erga alios.* Si quam familiam tibi subditam numeras, quæ te solicitudo tenet prolium, quæ domesticorum, ut de bonis æviternis ac temporalibus eis provideas? Si in animarum salutem incumbendum, quanti est tibi hæc functio, quis zelus? Si promovendis litibus, aut ferendis sententiis præis, quâ accurratione huic oneri humeros submittis? &c.

Neque illud te prætereat, ANIMA, omni statui sicut sua sunt commoda, ita etiam damna inesse; in cœlo duntaxat omni metu vacabimus. Itaque consideratione percurre singula, quæ in tuo statu sanctitati obicem movere possent; ad examen revoca errores magis usitatos, in quos hominum pars maxima suo more, suáque mole devolvitur, hos satage â te amoliri,

ut olim ſanctorum cumulo accenſearis.

PRO DIE JOVIS,
HUMILITAS.

DEmiſſio JESU Chriſti, ſub ſpeciebus panis, & vini latentis ejus bonitas, quæ tam facilem acceſſum indulget, ſéque pro cujusvis libitu deportari ſinit, ejus ad diſcipulorum pedes abjectio ſtimulos, & animos nobis addere debet illam virtutem amplexandi, quæ aliarum omnium baſis, unáque præſtat, ut ſui æmulatorem ubivis acceptum faciat.

1. *DEO.* Qui humilium delectatur conſuetudine, ampliores eis gratias refert, eorum precationibus ſemper favet ſecundùm votum. Tam nihil DEO adverſatur, quàm elatio, placitum illi eſt ſuperbos ſpiritus deprimere, & ambitionem proſter-

ſternere, quæ ejus gloriam in cœlis tentabat impetere, & etiamnum in terris quærit ſurripere. Sola ſui deſpicientia gratiam habet ſuo nutui obſequentem. *Nihil aquè efficax ad gratiam promerendam, retinendam, & recuperandam, quàm ſi omni tempore inveniaris coram DEO non altum ſapere.* Bernardus.

2. *Hominibus.* Quis amabilior præ illo, qui neminem ſpernit, qui præter ſe unum omnes laudibus effert, qui ſibi gloriæ ducit aliis primas partes dicare? ex adverſo; quid deteſtabilius homine arrogante? toti mundo exoſus habetur, nemini facilè tolerabilis, quisque totus in eo eſt, ut ambitûs ſtudioſum in ima deprimat, ejúsque vanitatem confundat. Quod ſi quidam contemptus eidem irrogetur, plurimi in ultionem ſuperbiæ accipiendum putant. Etſi ſpiritu & corpore præteferres decorem numeris omnibus abſolutum, etſi

cun-

cunctis gratiæ & naturæ donis pollerес, ſi gloriandi anſam inde arripias, illico tibi vilipenſionem accerſis. Neque DEUS, neque homines ſuperbum citra averſionem tulerint. *Odibilis coram DEO eſt, & hominibus ſuperbia.* Eccl.

3. *Sibimet ipſi.* Demiſſio cordis tranquillitatem, veluti elatio perturbationem alit. Arroganti nulla unquam quies; & quia tenerrimi ſensû eſt, in iis quæ ad honorem pertinent, minimô verbô intimè læditur, modica vituperatione dejicitur, & quantum alienæ exiſtimationi adjeceris, tantum ſuæ detractum, tantum ſibi ignominiæ additum exiſtimat.

Hic contendi aliorum capitibus eminere, atque hunc in finem nullis injuriis, calumniis, aut fraudibus parcit; ſi ſucceſſum minùs felicem ſortiantur, quemadmodum ſæpe numero uſuvenit, cùm ejus vanitas & ambitio omni limite ca-

 reant,

reant, heu quot furiis, quantis animi perturbationibus agitatur: dum interea humilem occurrens depreſſio tangit quidem, ſed non angit, utpote qui ſecum ſtatuit nullum ſibi honorem, omnem verò contemptum deberi. Si cupis vitam vivere perturbationis expertem, ambitionem, & deſiderium alios præcellendi devita; ſecus etiam tibi, ùt ùt ingentibus fortunis, & pari honorum gradu potiaris, dicendum erit cum ſuperbo Aman, te nihil poſſidere, atque hominum facilè infeliciſſimum eſſe, cùm leviuſcula contemptio occurrerit. *Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto.* Eſther.

Ecce methodum hujus virtutis exercitandæ.

I. *In tuis Cogitationibus.* Demiſsè de te ipſa, cum grandi æſtimatione de aliis ſentias velim. Animô revolve, quid fueris, merum nihilum, inde poſt eruta quid niſi infidelis

gra-

gratiis, tot, tantísque peccatis contaminata: quid modò sis, fragilitas & miseria, sive corpus, sive animam spectes; sine DEI subsidio quid vales? &c. quid futura sis, tuum corpus obtinget vermibus in escam, & tua anima pertinget, quò ignoras; Itaque ad incertam hanc aleam expaveſce.

Cave sis, ne in vanis cogitatibus tibi complaceas, néve hominum intuitu, tuas actiones obeas: si eò dementiæ recidisti, ut vanitatis ergò in laborem incumbas, haud alia te merces manet præter falsam persuasionem, quòd hominum placito desudaveris.

II. *In verbis.* Nulla persona majori despectui habenda est, atque illa, quæ sibimet laudes accinit; non observat illa, quàm nullum augmentum, multam verò imminutionem suæ gloriæ adferat, & quàm apertè ejusmodi sermonibus suam arrogantiam declaret. Ne quid ob-

obtendas, neque errata in alios rejicias, etsi id posses aut liceret; hæc depressio, cui humeros subdes, te ad excelsam in cœlis coronam levabit.

III. *In actionibus, & exteriore habitu.* Si animo, sensúque humili sis, exteriore morum conformatione id exhibebis. Esto frequens in exercenda humiliatione, quæ alienos oculos subit; profectò nullis mediis certiùs hanc virtutem indipiscêris, quàm crebra tui abjectione. Vestium cultus sit, qualis tuum statum, tuámque conditionem addecet: ùt quid prosit tantus luxus, ac tanta profusio? O quàm carò stat vanitas, quàm multas impensas hoc vitium exigit, quàm modicos dat proventus! Ne sis de numero eorum, qui suo incessu, modo agendi & loquendi nova semper indicia vanitatis exprimunt: quin potiùs singulis in ope-

operibus demissionem sectare, ejúsque vestigia relinque.

IV. *Cedere aliis.* Nonnullorum potissimus labor sistit in eo, ut inter se & alios comparationem ineant, districtè inquirentes, an sibi ab illis pro debito reddatur, an ille mereatur tantum assurgere? &c. Has & consimiles pensitationes, quæso te, ANIMA è mente proscribe, neque dixeris unquam: *Ego multis nominibus illô sum potior, illius est mihi primatum cedere, me salute prævenire.* Honor uti è vetere paræmia nôsti, dantem magìs ornat, quàm accipientem! *honore invicem prævenientes*, ait S Paulus.

Demus, ANIMA, te eum longè antecellere, cui potiores partes defers; scito â te inde tantò majorem gloriam relatum iri, quantò clariùs quisque perspiciet, te nullo jure ad id obstringi, nisi quod tua tibi virtus, & civilitas imposuit.

V. *Fugere laudes.* Plures recen-

sen-

sentur, qui nollent se plusculum commendari, sed ægrè ferunt, si quid laudis aliis tribuatur: quidam omitterent persequi gloriam, sed lætitiis incedunt, si ea ultro obveniat: nonnulli dexterrimè nôrunt suæ laudis, & existimationis captandæ occasiones adinvenire.

Peto abs te, ANIMA, ejusmodi sermonibus, qui persæpe præter blanditias, & humanitatis officia nîl continent, ne assiste, imò, quâ potes, efficacitate obsiste. Tantò ampliore gloriâ te DEUS cumulabit, quantò minorem ab hominibus tenueris. Nihilo tamen minus absit â te, actum virtutis ex hoc capite neglectum ire, quòd aliqua fortassis gloria inde succresceret; probis operibus audacter manum applica, & si quæ vanitas obloquuta fuerit, cum sancto Bernardo repone: *Nec propter te cœpi, nec propter te desinam.*

VI.

VI. *Ferre contemptus.* Tolerantia vituperii ultimis virtutibus adſcribenda non eſt. Seu in te peccarit natura, ſeu tu in errata prorueas, aut præter intentionem aliquid admittas, ſingula te coram aliis in ruborem adducent. Complures reperies multa paſſione, diſcretione prope nulla, qui, ſive ullam, ſive nullam anſam præbeas, tibi contemptum, confuſionem, contumelias irrogabunt. Per DEI amorem, & nomen te obteſtor, ne honoris tui immodicus exactor eſto, neque cuncta in famæ ultimam læſionem detorque, forti patientia ejus generis depreſſiones tolera. Subeat animum, tibi majori futurum gloriæ apud DEUM & homines, ſi ſpernenti ignoſcas, quàm ſi de eo vindictam ſumas; & victoriam, quam de te ipſa hoc pacto feres, DEO plus gratam fore præ centenis actibus virtutum, queis vacare liceret.

Non

Non equidem inficior, ANIMA, hìc ſe difficultates prægrandes offerre. Si quæ deſpicientia tibi impacta eſt, frons, oculi, vultus, te penitus proſtratam è verò loquuntur; cor mœrore concluſum gemit; cum interna pace actum eſt, tuúsque antè omnia labor, ut damna contemptûs tibi illati reparares, ſimul aſperioribus verbis, planctu, murmure ulciſcaris, aut acceptis injuriis conſimili tenore reſpondeas, par pari reddendo. Attamen elationem tuam bello obtentu ceu firmiore momento contegis; dicendo, *Id repugnare honori tuo, nec non bonæ ædificationi proximi, cui offendiculo eſſe poſſes, ſi hujus errati ream te crederet; id inculto nonnihil genio, & ſtupidæ indoli tribuendum, ſi quis laceſſitus convitiantem non perſtringat: quòd ſi hanc inulta ſuſtineas, te centum ſimilibus injuriis petendam.* Ah quantâ perſpicaciâ ſuum ingenium exerit jactantia, ut

ſibi

sibi velamen inducat! ne fallacibus hisce persuasionibus, & fictis rationum coloribus assensum præbe. Crebræ demissionis satage, & quæ tibi erubescendi occasio oblata est, hanc invictâ tolerantiâ excipe.

VII. *Quærere Contemptus.* Sublimitas hujus virtutis eo usque assurgit, ut quis non tantùm forti animo ferat, sed etiam avidè quærat sui despicientiam, & hâc obtentâ lætetur Si in tuo arbitratu posita est optio, seu locum, seu laborem, seu quidquid aliud concernat, illud semper delige, ac dilige, quod ad humilitatem propiùs accedit; quòd si ante delectum tuum tibi ipsissimum obtingat, exulta, te hoc demissionis habitu JESU Christo similiorem existere, qui per abjectionem, ceu notam sibi peculiarem voluit, fecítque se ab aliis dignosci. Desidera ab omnibus nihili haberi, etsi congenitæ tibi dotes, egregia capacitas, neque in-

feriora his opera totius mundi existimationem jure deposcerent. Tuæ virtutes, quò magis absconditæ, eò illustrius oculis DEI obversantur; *Et Pater tuus cœlestis, qui videt in abscondito, reddet tibi.*

VIII. *Exercere humilitatem, quin ob eandem cupias laudari.* Non pauci humiliationem aliis ultrò concedent; verùm nihil iis magis volupe erit, quàm si alieno conspectui obversetur, quantum se demittant, & alios elevent, quantâ tolerantiâ injurias absorbeant. Novi, ajunt, quæ contra me verba effutiveris, quî meam famam discerpseris; sed nolo amplius mente recoquere, amor DEI jubet vilipensionibus nec frangi, nec vinci; alter prolixa narratione complectetur difficultatem, quæ exercitationi hujus, illiúsve virtutis se obtruserit, quas depressiones, quos sui vincendi conatus adhibere oportuerit. Eheu! quantùm hi fal-

falluntur cœcè opinantes rebus adeò pugnantibus inter ſe convenire, nimirum poſſe unum aliquem, dum demiſſioni ſuæ, ac heroicis actibus pæana canit, ſimul humilem eſſe. Meliore parte meriti te, ANIMA, deſtituendam ſcito, ſi efficctim cupias palàm conſtare, quòd te infra alios abjicias, quòd te nequaquam lateat, quid adversùm te verbis, factísque actum ſit. Silere convenit, nullóque indicio ſignificare, quaſi intellexiſſes te in contemptum adduci. Atque hæc eſt probatiſſima demiſſionis ratio, deprimi, afflictari, utrumque ſic ferre, quin ullô deſideriô feraris mundum horum conſcium habere.

PRO

PRO DIE VENERIS,
POENITENTIA.

NUllus dubito, ANIMA, quin Chriſti JESU, qui hâc die noſtrorum ſcelerum causâ in crucem actus eſt, in tuitu te ad pœnitentiam animari ſentias, maximè ſi unà hujus virtutis neceſſitatem inſpexeris.

1. *Propter præterita.* Pro ſingulis delictis juſtitiæ divinæ faciendum eſt ſatis: ſi hanc vitam decurras, nec eadem ſeveris pœnis caſtiges, cùm altera ſucceſſerit, DEUS flammis in te animadvertet, ubi plus doloris unicum momentum adferet, quàm omnes purpurati Chriſti pugiles per omnem vitam potuêre perpeti: poſsítne apud te quæſtioni locus eſſe, utrum è duobus præſtet, pauculis momentis nonnihil torqueri, an æternitatem

ſuppliciorum ſuſtinere ? Tibimet ipſi cenſor, judex, & tortor eſto, nè DEUS æquiſſimo rigore te plectat. *Pœnitentia pro juſtitia, DEI fungitur munere.* Tertull.

2. *Propter præſentia.* Corpus tuum illicitis voluptatibus, & tuus ſpiritus vitioſis propenſionibus indulget ; quare illud huic ſubjiciendum eſt, frœno arctandi ſunt pravi affectus, & deſideria, fidei vitæque regulis minùs conformia. Infernus milliones eorum complectitur, quos unicum delicium vetitum, non vitatum, una affectio dominans, non domita in præceps, & perennem ruinam impulit. Nullo non die invigilandum eſt ſenſibus, & affectiones in ordinem redigendæ, cùm amor illecebrarum ſaniorem mentem ſæpe numero pervertat, atque id, quod ſoli carnis oblectamento deſervit, & è proborum virorum phraſi ſenſualitas audit, neceſſarium quàm maximè

perſuadeat. *Neſcit cupiditas, ubi finiatur neceſſitas.* Auguſt.

3. *Propter futura.* Si arduitas, quæ aſperioris vitæ ſectatores comitatur, animos in bene cœptis dejicit, ſpes, & magnitudo præmii cur non erigat? ſi bene nôſſes, quantum gloriæ, & gaudii in cœlis minimæ afflictationi reſpondeat, næ tu auſteritatem omnem duplicares, neque admitteres, ut aliqua unquam opportunitas elabatur tibimet vim inferendi. *Si labor terret, merces invitet.* Bern.

Actus hujus virtutis accipe, & redde, ſequentes.

I. *Mortificare ſuas paſſiones.* Ab hoc genere abdicationis exordiendum eſt. Omnes affectiones, vario tamen aſſultu, nos infeſtant; ſemper una præ cæteris in nos dominatur potentiùs. Hic iræ, ille triſtitiæ obnoxius eſt; da leviuſculum verbum, & cunctas furias in illum hominem evocâſti; ſin

ſuo

ſuo ille genio ſe regi ſuſtineat, cunctis, ceu onus non ferendum evadet. Aliquis propendet in libidinem, alter in gulam, ambitionem, aut conſimile vitium, &c. Omnibus his affectionibus ſuperiorem, & geminæ legis obſervantem eſſe convenit.

Prima lex jubet depravato affectui obſiſtere, & nihil eorum committere, ad quæ is multa irritatione provocat. Novos tum animos reſumere addecet, & citra ambages edicere : *Non faciam.*

Altera præcipit, non ſolùm iis ſibi interdicere, quæ paſſio ſuggerit, ſed etiam in oppoſitum niti. Ira, & triſtitia comes, tibi bella movent ; abſit, ut indignatione commovearis ; ſermonem tuum dulcedo, & vultûs hilaritas condiant. Cogitatus laſciviam olentes, effuſa in cibum, potúmque cupiditas &c. tibi vim intentant ; abſit, ut delectamentum indè hau-

 rias,

rias, & fœdis impreſſionibus moram concedas, confeſtim aliquid caſtigationis corpori adde, aliud palato ſubtrahe, &c.

II. *Mortificare ſuos ſenſus.* Si ſenſibus tuis, eorúmque petitioni nunquam non indulgere velis, quis te ab interitu vindicabit, ANIMA? Quòd ſi verò ſenſus moderatione coërceas, ſalutem tuam in tuto locabis, & meritorum copiâ augeberis. Hæc elegans forma ſe tuis oculis objicit, averte, ut nec tumultuario obtutu digneris. En, qui tuis manibus propinatur, liber ingenium ſapit, ſed ſimul perniciem ſpirat, ne lineam, imò ne litteram lege; fortè tibi ad manus, tuámque ſalivam erit, his cibis, illa auditione, his odoribus, illo contactu te recreare, quid ſi abſtineas? ô quantas, eásque duraturas opes facili negotio colliges!

III. *In minimis occaſionibus.* Ne talibus abdicationibus minùs tribue

bue ſub ſpecioſo obtentu, quòd circa res modicas verſentur; ſi ità ſe habeant, minor itaque difficultas ſuberit. Cæterùm quales quales ſint, ne negligas, cùm ſecutura indè merces immodica ſit, túque per abdicationes ùt ùt exiguas novum ſemper dominium in tuas affectiones exerceas, quò tandem fiet, ut, data ampliori opportunitate, de te ipſa victoriam referas, nec ulli ſequiori affectui devictas manus.

Accedit, quæ tu inter minima reponis, eo loco nequaquam ſtatui debere; unicus obtutus, quo David ſuperſedere poterat, quantis impenſis conſtitit? Tu quoque, ANIMA, ediſſere, an non unus oculus, quem perperam projeciſti, unum minùs honeſtum verbum, quod audîſti, una cogitatio, quam ſegniùs repuliſti, levis iræ motus, quem ſub initium non repreſſiſti, plurium malorum origo extitêre?

IV. *Facere pœnitentias.* Contremiſcis jam ANIMA, & metuis, nè tibi de flagellationibus, ferratis, aut piloſis indumentis, de jejuniis, vigiliis, tótque aliis afflictationum generibus loquar, quibus ſanctioris inſtituti homines aſſuevêre. Crebra eis humi cubatio, optimum edulium panis, & frigida, integerrimis horis precatio de genibus, ſitus corporis permoleſtus, & incommodus; multùm temporis ſubducebant ſomno, ut Orationi darent, deliberato animo frigus, & æſtum, famem, & ſitim, aliósque id genus cruciatus, quibus inveniendis ſe ſe impendit ardens in DEUM amor, ſuíque odium, elegêre. Hæc, & his affinia proba, probatáque ais, ſed nonniſi â Sanctis profecta, & perfecta; addo ego, ANIMA, ſed exercitatione harum afflictationum facti, & promeriti ſunt audire ſancti; Proinde quantum tuæ vires admiſerint, & Spiritus

tus Sanctus â te exegerit, eorum preme vestigia, si pari cum iis sanctimoniæ laude, ac titulo gaudere velis.

Si nequeas hos heroës per omnia sequi, fac possis in nonnullis, & si robur tuum excedat præstare grandia, fac velis saltem in modicis tuam industriam non desiderari.

V. *Libenter ferre aliquam molestiam, quæ se offert.* Insigne argumentum bonitatis est, ità res â DEO ordinari, ut tolerantiam nostram exerceat, & commoditatem præbeat merita meritis cumulandi; inclementia aëris, frigus, æstus, fames, sitis, tempestas minùs favens, adversa valetudo, vulnera, cibus malè conditus, stratum obiter compositum, odor naribus infestus, punctura alicujus insecti, & millena alia, cum quibus conflictandum est, minora incommoda, totidem ad altiora merita gradus sun-

ſunto, ſi toleranter, & citra amaras querelas feramus.

VI. *Non cade animis ob moleſtiam, quam ſentis.* Complures magnis auſibus carnem affictare cæperunt, ſubinde lapſu temporis â primo fervore deſcivêre dolorem cauſantes, quo, ſpe & opinione ſæviùs, urgebantur : ô ANIMA, ne horum remiſſionem imitare. Conſidera 1.° nullum bonum omni penitus labore carere, neque ullam eſſe virtutem, cujus acquiſitioni aliqua ſufferentia non adhæreſcat. 2.° Penſita, ex operis difficultate gloriæ menſuram ſtatui; certè unica afflictatione, quæ te moleſtiùs afficit, ampliùs merebere, quàm copioſis virtutum actibus, quorum exercitatio nullam prope arduitatem tibi objectat. 3.° Experimento docemur, ea, quorum rarior nobis uſus eſt, majorem contentionem depoſcere, ut executioni mandentur. Eſto crebra in caſtigatio-

gatione corporis, hoc pacto tibi eandem faciliorem reddes. 4.° Ne unquam de bonitate DEI diffide, poſtquam ejus amor tibi ſimile exercitium perſuaſit; ſicut is tibi gratias contulit, ut primitus velles, & faceres, ita largietur, ut proſequaris.

5. Oculos in JESUM Chriſtum cruci affixum converte, qui tantùm tui gratiâ tulit, cùm tu intereà omnibus, quæ ejus causâ toleranda forent, te ſubtrahas. Intuere veſtigia eorum, qui DEO ab obſequiis fuêre, hæc, atque his majora in ſe audacter ſuſcepêre.

6. Mentem reflecte ad cœli gaudia, in quorum ſpem dudum veniſti, ad pœnarum acerbitatem, quas totis viribus devitandas habes, ad gravitatem, & cumulum tuorum ſcelerum; quidni tibi animos addant, ut pœnitendi ſtudium intrepidè aggrediaris, & nullo intervallo abrumpas.

VII. *Non quærere prætextus ſe iis liberandi.* O quàm omne ingenium noſtrî amor exerit, ut quæcunque ardua â ſe procul arceat ! tantum afficimur voluptatibus, tantum avertimur ab aſperitatibus, ut velut oſtiatim obtentus quæramus, iis humeros ſubrahendi. Si cibis parciùs utendum, aut alia in carnem maceratione agendum ſit, è veſtigio id virium imbecillitas, aliáve incommoditas prohibet; quòd ſi hæc veritate niterentur, ipſe noſtræ conniventiæ author forem; verùm ſolius noſtræ perſuaſionis ſunt partus, & grandia evadunt, quia ſolo nomine nobis ſupra hominem videtur, aliquid pati.

Aliàs prætexímus ea, quæ nos circumſtant; ſodales, quibuscum vivimus, rei faciundæ impoſſibilitas, aliáque id genus momenta liberos affirmant. Intereà impedimenta â circumſtantiis petita nulla ſunt; rem factu impoſſibilem

bilem esse, solùm prætenditur, & rationibus nullum robur inest, nisì quod â persuasione nostra sibi vendicant. Causa, & culpa verior in tuum mollioris vitæ amorem, & horrorem abdicationis rejicienda sunt. Finem imponat assertum omni ævo celebratissimum, *tantum proficies, quantum tibi vim intuleris.* Ut nimirum discas accessionem tuæ perfectionis metiri ex progressu in tui abnegatione.

PRO DIE SABBATHI,

PATIENTIA.

INstitutionem de virtutibus traditam illa claudat, ANIMA, cujus summam ante alias necessitatem comperio. Unde nascitur, in multis familiis audiri perjuria, clamores, percussiones, blasphemias, plurium ædes in parvulum infernum converti? denique

tolerantia exulat. Haud alio opus eſt, quàm modicam injuriam, exiguam repulſam, aliquem contemptum æquo, non ægro animo ferre, & omne jurgium aditu excluſiſti. Adverſa crucibulum dixeris, in hoc ſinceritas auri, per illa virtutum veritas pateſcit. Si quid moleſtum accidat, id ſiniſtræ ſorti tribuimus, cùm felicitas non ultima ſit, occaſionem nanciſci, quâ quis fidem ſuam, ac tolerantiam DEO teſtatam facere queat. Igitur quæ te cunque calamitas torqueat, ANIMA, triplici hoc præſidio mentem indue.

1. *DEUS hæc permittit in tuum bonum.* DEUS ita vult: ah quid! fortaſſis tibi in votis eſſet, ejus arbitratui reſiſtere; DEUS hæc permittit in tuum bonum; quæ major ſit in orbe conſolatio? verùm ego non aſſequor, quodnam commodum indè poſſit eruere: quid? ergo DEUS tibi rationem reddat eo-

eorum, quæ agenda ſuſcipit? An ejus conſpectum fugit, quantum tu tolcres? An te nequit indè eripere? ſi facere nolit, aut his caſtigationibus vult tua delicta expiari, quibus, etſi millies graviora ferres, majora longè ſupplicia debentur; aut opportunitatem meritorum augendorum ſuggerere, aut providentiæ ſuæ conſilia exequi, quæ, licèt tibi incognita, humili ſemper obſequio, & adoratione ſuſpicere debes. O quàm fallacia ſunt hominum ſenſa! Id, quod tu malum vocitas, grandem tibi utilitatem conciliat. Quæſo, ita tecum ſtatue; quod medicæ artis perito ſolemne, hoc DEO familiare eſt, dolores infert, ut omnem languorem auferat. Optimus ſanè parens pœnam infligit, ut tua commoda promoveat, téque meliorem efficiat, *ſæviat quantumvis, Pater eſt.* Auguſt.

2. *Tolerantia te DEO acceptam reddit,*

dit, & meritis auctiorem. Sanè duo nomina, quæ in tribulationibus ad gaudendum provocent. Cruce, aut duce, aut comite ſecurum eſt iter ad cœlum; Chriſtus JESUS, & omnis Sanctorum corona aliam viam non tenuêre, neque tibi novam ſternendam crede. Cùm acerbiora ſuſtines, JESU cor,& propenſionem tantò certiùs tenes, quò ad ejus ſimilitudinem propiùs accedis: quam inimicam experiris ſortem, tibi propitiam æſtimes, oportet, ſi mente recolas, minimos quosque cruciatus, etſi uno duntaxat momento toleratos æternum gloriæ pondus in te operari. Neque oggeras unquam, quaſi ægritudo, aliáve ſiniſtra affectio obſtet, quò minùs pro voluntate tua te bono perficiundo applices; nam, ſiqua fides S. Bonaventuræ, *Perfectiùs eſt adverſa tolerare patienter, quàm bonis operibus inſudare.*

3. Per

3. *Per impatientiam nulla merita, ſed multas in* DEUM *offenſiones cumulas.* Quæ dementia unicum malum ſibi ultro geminare, & dolorem augere, quem minuere, ſi libet, licet! Quos fructus referunt animus minùs patiens, aut indignatio in apertum erumpens? Nullos, nisì DEUM injuriâ affici, & ſufferentiam omnem inutilem effici; ſi plena tui arbitrii abdicatione, cruces amplectaris, tua merita accreſcent; ſi invita, atque excandeſcenti ſimilis humeros ſubmittas, tantum abeſt, ut mercedem, ut potiùs caſtigationem mereâre. An tua impatientia ſiniſtris caſibus medebitur? minimè gentium; ejuſmodi mala remedium non admittunt; Itáque grandi tolerantiâ ſuſtine, & acerbiore commotione abſtine, ne temet bis infelicem facias. Verùm è mente Caſſiani, minùs perfectorum proprium eſt, quidquid DEUS immittat, bonis abuti, &

malis

malis ad pejora accendi. *Nec prosperis rebus proficit, nec emendatur adversis.*

I. *Non impatientem fieri contra DEUM.* Quis crederet hominem eò audaciæ devolvi, ut de DEO amarùm conqueratur, ejúsque providentiam incuſet, quam convenire adorare? Dicimus DEUM ſeveriùs nobiſcum agere, videri noſtrî oblitum, aut nos penitus abjeciſſe, etſi nîl tale commeriti ſimus, æquitate cauſæ pro nobis militante, & culpa in aliorum capita delabente. Sunt, qui tum jurejurando inſanam mentem obfirmant, qui tot furiis, tantáque deſperatione aguntur, ut temerariâ verborum audaciâ vindictam de DEO ſumere velint. Ah! ANIMA, an ignoras, DEUM optimi Patris normam præſeferre, qui ſuos natos pœnis coërcet, ut eorum bonum curet; DEUM agere archiatrum charitate plenum, qui ægrotum

ama-

amaris potionibus, ferro, & flammâ adurget, ut ſanitati reſtituat. In arcto poſita totum ejus Ordinationi tranſcribe dicendo: *Fiat voluntas tua; Accipio optimo animo hoc damnum, hanc depreſſionem, hanc crucem, quoniam ſic fuit placitum ante te.*

II. *Non impatientem fieri contra alios.* Nîl magìs uſitatum eſt, quàm, cùm quid minùs ad ſalivam obvenit, adſtantes invadere, tum eos, qui in partem culpæ veniunt, tum eos, qui ab hac integerrimè ĩmunes ſunt. Proferuntur verba huic propoſito non opportuna, fit tranſitus ad injurias, contentiones, reprehenſiones, & quoties non ipſæ manus conſeruntur? ah! ANIMA, nisì tuam iram, tuósque impetus ſub jugum mittas, quantos lapſus nullo non die iterabis.

Verum eſt, non abnuo, in aliorum errata ſubinde animadvertendum eſſe, ſed cavendum, ne virtus in vitium migret, jungendo indigna-

dignationem correctioni, aut huic nullos terminos ſtatuendo. Non rarò accidit, ut immodica animadverſio averſionem gignat, &, cùm quis præter modum in alios invehitur, ipſe reus fiat majoris errati, ac fuerit illud, quod correctum, ſublatúmque voluit.

III. *Non impatientem fieri contra ſe ipſum.* Quis crederet, hominem iræ mancipium, contra ſe ipſum arma vertere, animum ſuum mille moleſtiis, mille perturbationibus torquere; ſibimet gravis, vix quidquam invenit, in quo ſibi complaceat, quietem ſpiritûs amiſſam gemit. Sive moleſtiarum aliquid tibi inſtet, ſeu negotia ad votum non fluant, cave interna hac pace excidere, utpote quæ bonum ſpiritum tam ſecurè indigitat, ac perturbatio malum indicet. Ipſa quibus involvêris, errata, nunquam huic quieti officiant: coram DEO te demitte, pete ab eo veniam, atque

que eandem ſpiritûs tranquillitatem, qua antehac fruebaris, proſequere.

VI. *Nihil dicere, dum ira fervet.* Cùm prava affectio menti tenebras inducat, tempus reponendi aliis, aut quidquam aſſumendi minimè idoneum puta, quando concitatiorem te ſentis. Sine diſſipari fumum, ebullientem aquam defervescere, & tum intelliges, quid â te ratio exigat, poſtquam huic paſſio locum ceſſerit. Grande remedium, cui ſimile vix dederis, cùm iracundiâ exardeſcis, te maturè ſubducere, aut ſermonem aliò convertere, aut ferreo ſilentio linguam frœnare, ſecus absque aliena læſione vix verba facies.

Oro abs te, ANIMA, ut hoc, nullatenus oblivioni des. Illico, at ſerò te pœnitebit eorum, quæ furore æſtuans dixeris, egeríſve.

Boni pariter conſule, ANIMA, ut alteram commonitionem adnectam.

ctam. Plures videre eſt, qui iræ modum ponunt, neque tunc, cùm laceſſuntur, acceptam offenſionem ullo indicio manifeſtant. Verùm aliquo pòſt tempore eos, quibus ſanguine, aut familiaritate juncti ſunt, ſolicitè inquirunt, relaturi, quàm exigua humanitate ſecum actum ſit; & ſub obtentu, quod conſilio juxta, & conſolatione egeant, prolixa narratione injurias recenſebunt, quas ſibi illatas arbitrantur. Quorſum hi ſermones, ANIMA, niſi, ut vulnus, & ſenſum, qui jam in cicatricem coaluerant, innoves, & illos ignes, quorum vix ſcintilla ſupererat, denuo in incendium animes. Hujuſmodi colloquiis tuum ſpiritum graviùs exulceras, & iis, quibus amarùm quereris, exempla non conducentia præbes, utpote qui ex incondito ploratu facilè intelligunt, quàm tenero ſis ſenſu, ſeu honorem, ſeu commoda tua ſpectare libeat.

V. *Li-*

V. *Libenter ignoſcere.* Non pauci cuncta adeò cordi ſumunt, & ſingulis minutiis tam intimè læduntur, ut veniam exoranti, parcere neſciant. Error hic ſuapte natura ingens, non leviora damna invehit. Probroſum eſt omni ſenſui patere; res minores deſpicatui habere expedit, ſecus, ſi quibusvis conſiderandis immorari, ſi omnia diſcutere velis, tua perſuaſione grandeſcent; quò magis illa perpenderis, eò moleſtiùs objecta ſui imagine te cruciabunt, & ſpiritum tuum ardentioribus flammis iræ complebunt. Si exiguum contemptum nihili feciſſes, conſternatio, & mœror procul â te haberent.

Neque propenſioni tuæ, tuæque elationi pietatem, aut rationem obtendito; tantùm alta mente repoſtum tene, quod ſequitur. Sin ea, quæ adversùm te dicto, factóve mota ſunt, nullum damnum afferant,

rant, nullum diſcrimen miniten-
tur, præſtat contemnere; ſi te in
quampiam confuſionem adducant,
DEI amore tolera, toto corde ig-
noſce, & proficuè utere tam pul-
chra commoditate merendi.

VI. *Recurrere ad DEUM cum fidu-
cia.* Cùm omnia ad nutum cedunt,
nihil minùs, atque DEUM memo-
riâ retinemus: at ſi quæ calamitas
ſe mediam ingerat, ſinè mora ad
DEUM confugimus, & quia tum
infidelitatem creaturarum, tum
mundanarum rerum vanitatem lu-
ce clariùs perſpeximus, ad ſupre-
mum, & unicum bonum conver-
timur. Vult quidem DEUS, ut
adverſis impugnata, humanis præſi-
diis te obarmes, verùm præ om-
nibus cupit, ut cum fiducia, &
perſeverantia ad ſe recurras, de-
hinc non patietur ſuam opem de-
ſiderari; aut ſi partibus ſuis deſit,
neque petitioni tuæ annuat, me-
lioribus te olim donare meditatur.

Ne

Ne oblivioni trade ultima verba : DEUS te olim melioribus donare meditatur.

VII. *Pati cum gaudio, & cum desiderio plura tolerandi.* An dolores sua gaudia recondant ? ità profectò ; hæc invenit, quisquis agnoverit illos DEI arbitratu infligi, eíque implendo deservire ; quemadmodum miles lætus excipit armorum onus, & vulnera, quæ novit in obsequium sui Principis vergere. Nè tristitiæ unquam aditum concedas velim, serenum vultum prætefer, ac eâdem semper, id est magna suavitate te respondentem præbe. Imò ad sublimiorem gradum connitere, ANIMA, opta pro DEO graviora perpeti, & votis tuis præeuntem sequere Augustinum : *Domine, auge dolorem, sed auge patientiam !*

VIII. *In adversis, quæ DEUS immittit, se ejus voluntati conformare.* Oportet, cuncta nobis adversantia,

tia, ANIMA, veluti è manu DEI profecta amplecti, & tota ſinceritate profiteri. Mi DEUS, tua ſanctiſſima voluntas fiat. Hìc te commonendam duxi illius erroris, qui perſonis probati cæterà ſpiritus frequentior eſſe ſolet. Ajunt ſe majorem in modum lætari, ſi quid DEI causà ferendum occurrit, ſéque ad ejus voluntatem conformatos vivere velle; verùm unicè exoptare, ut alia crux, quàm, quæ modò premit, humeris imponatur. Videtur illa minùs conveniens, furà impedimento ad perfectionem, occaſio potiùs vitii, quàm virtutis. Ille, cui aliquid exiſtimationis ademptum eſt, proteſtatur ſe quæcunque afflictionum genera toleraturum; ſed famæ jacturam penetrare altiùs, quàm diſſimulari queat. Qui ex morbo decumbit, ait ſe ingentibus periculis impatientiæ, & aliorum criminum exponi, & in exercitatione bonorum

rum operum præpediri, quæ plurima faceret, ſi valetudine uteretur. Illa mulier, quæ viro aſperrimi genii connubio juncta eſt, iuſuper, & proles peſſimæ, indolis numerat, affirmat ſe ad omnes cruces promptiſſimam, ſi hanc unam excipias, quæ nonniſi malum temporale, & ſpirituale accerſere poteſt, Tandem vix hominem reperias, qui non velit ſuam crucem mutari in aliam, neque ſe infelicem credat, cùm patitur, quæ nollet. Atque hoc eſt, quod ſpiritui quietem, DEO perfectam noſtræ voluntatis dicationem eripit.

Profectò, ANIMA, tua deſideria rationi parùm conſonant. Dic, amabo, an non DEUS huic jugo crucis te ſubdidit? an non præſens afflictio ex ejus manibus promanat? an tuum eſt DEO agendi leges ſcribere, ac adverſa nominatim dictitare, quæ unicè contra te ſtringat? ah ne ejusmodi cogita-

tus ultro foveas; ſed cum exultatione, plenáque tui oblatione obviam quamque crucem amplectere, etſi tuo deſiderio, tuóque guſtui adverſetur. Ut animum tuum integrè ſubjicias, & ad tranquillitatem componas, nôſſe ſufficiat, DEUM eſſe, qui hæc immittit, qui hanc tibi crucem, hanc afflictionem, ceu viam conſtituit te ad perfectionem deducendi.

REFLEXIONES

Super Victoria alicujus vitii.

POſtquam tibi adminicula ſuggeſſi acquirendarum virtutum, jam media ſubnectere convenit vitiis, & tentationibus, quæ tuæ perfectioni obſiſtunt, devincendis quàm maximè idonea. Hanc vitam perpetuum eſſe conflictum, quis neget? ubi mille occaſiones ſe ingerunt contra acer-

rimos

rimos hoſtes depugnandi, ubi oculi claudendi ſunt, ne mundus ſuis illecebris attrahat, & abſtrahat; ubi ſemper in armis vigiliæ agendæ, ne dæmon ſuis aſſultibus ad deditionem cogat; ubi contemnenda ſunt cuncta lenocinia, ne caro ſuis blanditiis in pravum ſenſum, demum in præceps abducat. Verùm præter hæc tentamenta, quæ nulli non ſunt communia; unum ſemper reliqua antecellit, & fæviora nobis bella ciet. Depravatam affectionem, aut peculiare vitium puta, quod ampiore dominio ſibi imperitare quisque experitur, cùm nemo non ſuos manes patiatur, & quandam imbecillitatem congenitam habeat, cui majore præ reliquis cura attendendum ſit. En nonnulla adjumenta, ANIMA, quibus illud vitium, quod tibi dominatur, ſub jugum mittes.

I. *Timere.* Hoc ante omnia tibi

dictum, datúmque accipe. Vitium, in quod tuomet genio propendes, ANIMA, metuere debes. Tibi non videtur res tanti momenti, neque ex hac imperfectione graviora consequi posse: Ah, ANIMA, millenorum idem tecum ratiocinium, ultima quoque cura erat illam affectionem extirpandi, quæ profundiores radices egerat, & hi infeliciter cecidêre, eorum lapsu solum ploratum, nullam reparationem admittente. Illa modica ira, cui frequentiùs succumbis, illa libertas, quam tuis sensibus indulges, videndi, audiendi, & quidquid libet, tangendi, illa parvula elatio, quæ in corde tuo jam sedem fixit, téque in omnes occasiones intentam facit, alios antecedendi; ah! ANIMA pertimesce, ne istæ affectiones modò teneri surculi in arborem excrescant, & fructûs locò tibi flebile damnum, ac æternam interitionem afferant.

Id

Id, quod eventurum crede, nisì modò occipias hisce vitiis obniti, cásque affectiones evertere, quæ nova incrementa quot diebus capere solent.

II. *Resistere.* Neque existimes te feciſſe satìs, quòd mente assecuta sis, quot, quantáque mala ex his vitiis originem trahant, oportet illis contravenire, id est, tuæ inclinationi frœnum non remittere, neque totum exequi, quod illa dicere, seu ad quod inducere consuevit. Unde oritur, quòd semper eâdem sis irâ, gulâ, ambitione, quâ ante decennium fueras? ah! haud alio ex capite, quàm, quòd perversis hisce motionibus nunquam te opponas. Excandescentiam prodis mutato colore vultûs, indignationem concepisti adversùs personam, quæ tibi injuriam intulit, & tantùm abest, ut impetum coërceas, ut potiùs in asperrimas voces erumpas, nihil pensi habens, modò

lingua vindictam sumat. Cupido ultra limites bibendi te invadit, an illam subigis? an madidas has cogitationes abigis? imò verò citra moram te operi perficiendo accingis, quod suggestio suasit. Idem dicendum, ac sentiendum de cæteris, quæ suapte naturâ ad malum propellunt, te verò parùm solicitam tenent, ut maturè prævertas, aut contrà audentior eas. Quis itaque mirabitur te semper iisdem erratis obnoxiam esse, cùm nunquam securim ad radicem ponas.

Neque hìc sistit pernicies tibi, ANIMA, indè promanans; major longè est, quòd non modò iisdem semper, quibus repugnare detrectas, vitiis labores, verùm etiam in pejorem conditionem migres; siquidem ex crebrioribus erratis assuetudinem nasci, atque hanc assidua iteratione adeò firmari, necesse est, quò sub finem tecum statuas,

tuas, fieri non posse, ut te tam inolita servitute eliberes. Viden quanti referat resistere.

III. *Fugere.* Tuis adversariis tanta vis nocendi inest, ut majorem securitatem spondeat eorum pugnas declinare, quàm te periculo exponere amittendæ victoriæ. O quàm felici sidere natus forem, ANIMA, si hanc veritatem tibi dilucidè demonstrare possem, quòd persona occasioni immista jam dimidia ex parte succubuerit, & quòd è centenis inter peccandi discrimina versantibus vix tribus contingat non prolabi. Si nostram indolem intueamur, quàm sumus fragiles; si hostium assultus, quàm sunt robusti; si propensionem nostram, quanta est in omne nefas; Ah! quid non fiet inter ipsa malorum illicia, quis labor, quod opus erit nos defendere, ne occasioni cedamus, demum ne cadamus.

IV. *Sæpiùs confiteri, atque ſic omnes vires in ſuam correctionem impendere.* Hoc unum aliquod illorum mediorum eſſe, quæ ad extirpationem vitii plurimùm conferunt, ratione, & experientiâ, veluti duobus oculis quotidie cernimus. Hoc eſt grande illud Sacramentum, in quo peccatorum maculis puri efficimur, contra ſecuturos lapſus valido robore munimur, conſilia ſapientis moderatoris percipimus, normámque imbibimus etiam minores nævos â nobis amolliendi. Sin autem præcellentiam hujus medii penitiùs intelligere velis ANIMA, illius uſum familiarem habeto, & tuo experimento meliùs edoceberis, quàm ego quacunque verborum copiâ explicare poſſem. Medium hoc tantam arduitatem non involvit; ſed demus eſſe longè difficillimum, ſi negligas, certè hoc prætextu culpam non effugies; ſiquidem cùm facilè primis ſubſidiis

ea,

ea, quæ tibi adjacent, vitia exterminandi annumeretur, te ad ejus usum è debito obstrictam scito.

V. *Sibi ipsi quasdam pœnitentias constituere.* Hoc medium in eo situm est, ut tibi, ANIMA, stet fixum, firmúmque, quandam castigationem, aut aliud bonum opus assumere, quoties tuæ propensioni obsecundaveris. Non exigo â te usitata pœnitentibus cruenta supplicia; solùm tibi legem dicta dicendi semel *Ave Maria*; an nimium videtur? aut enuntiandi Nomen JESU; aut terram exosculandi; aut pectus pulsandi, aut elargiendi modicam stipem, quoties tuo vitio aurem, assensúmque præbueris. Exemplo res planior fiet. Si blasphema, aut detractor sis &c. Cùm primùm verba DEO, aut proximo adversantia per diem evomueris, actutum effare nomen JESU, aut pectus percute actum perfectæ detestationis unà eliciens. Vel verò

ſi decreviſti aliquid tui æris diſpergere, calculum ſubducito, quoties DEI nomine abuſa fueris, & ſi decies, hac die factum reperias, totidem pauperibus erogabis. Tu mihi repones, ANIMA, hæc nonnihil moleſta accidere: opponam ego, ſit ità, ſed dic, amabo, pro ſalute corporis quas non moleſtias abſorbes? quot commodioris vitæ rationes rejicis, ut longior tibi vita obtingat? ah quid! Ergo pro ſempiterna indemnitate animæ nihil voles præſtare?

VI. *Oratio.* Crebriùs DEUM, interpoſita ſimul B. Virginis, & Sanctorum precatione, obteſtare, ut eo opitulante victor hujus vitii evadas; Etenim cùm ejuſdem abolitio tua ipſius confeſſione operoſa ſit, ſupernum auxilium inſtanter flagitare oportet, & peculiaria quædam pietatis exercitia, aut aliquas ſui afflictiones hunc in finem intendere. Verùm oblitteratum nolim,

lim, quod aliàs tibi â me dictum nôsti, petendum quidem esse â DEO subsidium; nihil tamen profuturum, nisì pro viribus collaborare velis.

Si Orationi, quæ mentem occupat, subinde vacas, potissimam considerationis materiam suppeditabit amatum tibi vitium, diversi ejus gradus, &c. finem semper eundem imponet firma resolutio ea, quorum te conscientia ream agit, emendandi.

VII. *Examina.* Plurimùm expedit seria cogitatione in seipsum persæpe inquirere, ut vitium altiùs insitum, inditúmve è medio tollatur.

Absit, ut ullâ unquam die omittas discutere conscientiam, & enucleatiùs tum perscrutari, quos, quótque lapsus commiseris, quibus occasionibus inducta sis, quibus adminiculis deinceps utendum sit, ut vitium tibi magìs familiare evellas. Proderit quoque huic malo corrigendo discussionem particularem

impendere, cujus normam hoc in libro reperies.

VIII. *Perſeverantia.* Hæc ſuis numeris abſoluta erit, ſi duo omni accuratione obſerves. Primò, ſi uſum mediorum, quæ tibi ſuggeſſi, continua ſerie proſequaris, neque eorum premas veſtigia, qui unius diei, aut hebdomadæ decurſu nonnulla remedia adhibent, bonis hortatibus â conſcientiæ arbitro datis obtemperant, & lapſis diebus ſeptem, octóve â cæptis deſiſtunt, ſalubria media, ac commonitiones oblivioni tradunt, quaſi nunquam de his ſermo occurriſſet. Secundò, ſi poſt iteratas â bono defectiones animum nunquam deſpondeas, neque ſpem præſtandæ emendationis deperdas. Tu apprimè nôſti, ANIMA, nunquam majori diſcrimine errantem â dæmone peti, quàm, cùm hac perſuaſione urgetur: fac, quidquid velis, & poſſis, actum eſt, ex tot, tantísque erratis emerges nun-

nunquam, assuetudinem, quam contraxisti, tumulo inferes. Ne huic mendaci spiritui aures præbe, sed in novos semper ausus assurge perfectiùs, atque superiore tempore agendi.

Sub finem harum reflexionum addere placuit verba Sancti Bernardi nos instituentis, quibus gradibus ad nostram perditionem hostis connitatur: Orditur pugnam à perversa suggestione, *cogitatio prava delectationem parit, delectatio consensum, consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem.* Quare initiis obstare debes ANIMA, 1. Cogitationi non immorare, sed celeri repulsa obsiste. 2. Consensum nega, actionem oppositam elice, & coram DEO protestare, malle te mori, quàm peccare. 3. Cave, ne te in opus immittas, sed tentamento audacter reluctare, ut palmam, & coronam merearis, quæ victo-

 ribus

ribus, & fidelibus DEI famulis debetur.

REGULÆ PRO PERFECTIONE.

Fervorem ſpiritûs & diſpoſitionem DEO bene ſerviendi ſemper fovere.

DUo genera hominum inter ſe valde differentium tuo conſpectui proponam. 1. Primum eos complectitur, qui præter DEUM nîl quærunt, ſoli DEO placere deſiderant, nullos nisì de DEO ſermones miſcent, qui denique DEO pleni ſunt. Si occaſio exercitandæ virtutis obveniat, illam ambabus, ùt ajunt, manibus arripiunt, ſéque tantò uberiore gaudio delibutos ſentiunt, quantò crebrior ſe offert opportunitas virtutem opere conteſtandi. Si tentatio pulſet, illam fortiter abigunt,

gunt, & ſtimulos indè ſumunt ſe in pulcherrimos virtutum actus diffundendi. Omnes ſuas actiones tam grandi perfectione, tam exquiſito fervore obeunt, ut facilè quivis intelligat, eos diviniore ſpiritu unicè animari. Quæ tua eſt opinio, ANIMA, unde naſcitur, quòd tanta perfectio in his perſonis reluceat? vix in aliud rejiciendum putem, nisi, quòd inceſſanter ſatagant, ſpiritu ardere, ac nullo non tempore comparati eſſe ad ſerviendum DEO quàm optimè.

Alterum eos complectitur, quorum omnem actionem tædium, & languor corrumpunt. Si in precationem incumbunt, continuæ evagationes, extrema negligentia primas partes tenent; dubites, an mente, an ſenſibus magìs diſſipatos pronunties. Vix unquam DEUM memoriâ recolunt, rarò audias de cœleſtibus differentes. Si quæ tentatio aſſultum minetur, illico

lico deditionem parant. Si exercendæ virtutis commoditas ſe quodammodo obtrudat, ne quidem animum eò reflectunt, aut ſi præterire nequeant, manum applicare non audent. Si ad quæpiam pietatis opera obſtricti ſunt, ex languido agendi modo, quo rem agrediuntur, quisque conjicere poteſt, quàm remoti degant ab omni perfectione, & quàm invito corde ejuſmodi bona aggrediantur. Unde exiſtimas, ANIMA, hæc ortum trahere? certè non alio ex fonte, nisì quia fervore, cujus ſuprà memini, & interna conformatione DEO bene ſerviendi deficiunt. Multùm itaque refert gemino hoc præſidio dotatum eſſe: tu quidem iſtud certum habes, ſed ſcire cupis, quâ viâ obtineri, quibus auxiliis conſervari poſſit. En quatuor tibi ſubminiſtro, enixè orans, ut ſecuturis temporibus ſedulò adhibeas, atque ſi illum fervorem

vorem ſpiritûs, cujus tanta neceſſitas piè viventes urget, deinceps retineas.

I. *Exercitium de præſentia DEI.* Poſtquam militi conſtat, ſuum Principem prælio coràm aſſiſtere, & aſpectabili vultu pugnantes obſervare, citra ambiguitatem majoribus animis, & conatu præter ſolitum ampliore in hoſtem movet; Haud aliter, poſtquam Chriſtianus, ſeu precibus, ſeu converſatione, ſeu laboribus diſtentus, animum advertit, DEUM undique adſtantem omnia cernere, quis dubitet, quin ardore ſupra modum exaggerato ſingulis intendat, ſéque impendat. Præſentiâ DEI eum contuentis exſtimulatur, ut nullis ſudoribus parcat, ea ſolùm actitare, quæ ſupremo Domino magis accepta noverit. Cupis, ANIMA, generale æquè, ac ante alia efficax adjumentum, ut tuæ precationi devotio, tuæ converſationi modeſtia

destia, tuis laboribus fervor comes eat, ut exurgentem iram, &, quæcunque irrepserint tentationes, in herba supprimas, DEUM præsentem tibi objice, hac cogitatione diem exige, huic exercitationi assuesce; & si quando in mediis occasionibus frœnandi affectionem, aut virtutem exercendi constituta sis, neque illa consideratione armata confestim fidei oculos in DEUM lateri tuo adhærentem defige, & experiêre tuo spiritui quasdam flammas inferri, téque summè habilem reddi, ut DEO obsequium defera's, seu tui abdicatio, seu virturis studium requiratur.

II. *In tuis Ordinariis actionibus, & in occasionibus exercendi virtutem, aut devitandi scelus.* 1. *Sab initium vide, quid facere coram* DEO *oporteat.* 2. *Premitte te id facturam.* 3. *Sinè mora exequere, quod decreviſti, quin in longius expectes.* Totum hoc potes, ANIMA, & quidem intra

tra unum ferè momentum factum puta; imò ab hac die opus est initium ducere, ut hisce agendi modis assuescas. Dixi itáque primò, quòd in omnibus tuis actionibus, & occasionibus virtutum aut vitiorum coram DEO considerare debeas id, ad quod faciendum obstricta es, atque id, quod in hoc genere ad majorem bonitatem accedit. Ah! mi DEUS, quàm ægris oculis intueor, quòd in cunctis tuis occupationibus, ANIMA, supinam adeò negligentiam sinas irrepere, quòd tuo munere adeò perfunctoriè vaces, quòd horas, & integerrimos dies conficiendis variis negotiis, quorum unum ex alio, seu unda ex unda nascitur, insumas, quin animum huc advertas, quin agas, quæ agis, quin DEUM audias, ejúsque voluntatem condas in iis, quæ agenda præ manibus habes, ut ad illam normam, ac secundùm illam perfectionem fiant, quam

quam DEUS hoc in opere â te exigit, quam hæc occaſio ſe commodùm offerens admittit. Quare morem Davidis deinceps indue, cui nihil antiquiùs erat, quàm DEUM frequenti conſultatione convenire. Interdum mentem ad DEUM reflecte, qui nunquam non in te oculos defigit, & dic ei: Mi DEUS, quid in hoc opere, in hac occaſione â me deſideras? en me promptam, paratámque ad omnia, quæ tibi magìs accepta intellexero.

Dixi ſecundò, poſtquam in cognitionem veniſti eorum, quæ DEUS â te vult, poſtquam conſpexiſti, quòd hæc actio hac ratione executioni mandanda ſit, quòd hæc tolerantia exercenda, quòd in his circumſtantiis nîl reponendum, quòd precationes tuæ non curſim pertractandæ, quod ab aſpectu hoc illóve abſtinendum, &c. absque dilatione ſtatuas oportet iis ma-

manum admovere, quæ ſano judicio comperta habes eſſe meliora.

Dixi tertiò, ſinè mora exequere, quod decreviſti, quin in longius expectes. O quàm ſalubris eſt hæc commonitio, quantæ utilitatis, quanti ponderis, ANIMA, poſtquam perſpexiſti facienda, poſtquam perſpecta decreviſti exequi, ne moras ulteriores necte, ſed operi actutum te accinge, nec priùs manum de tabula, nisì facta ſcias, quæ DEO ſanctè ſpopondiſti, atque hìc omnis protelatio, omnis perditio temporis, etſi minima, maximè cavenda venit.

Si virtutis opportunitas adſit, hæc veluti cùm ſole curſum ſuum accelerat, & nisì cautè invigiles, aut conniventiâ, aut neglectu tuo elabetur, & tu, quod perfectionis minùs ſtudioſis uſuvenit, dicere non verecundaberis: ſinamus hanc tranſire, ſuccedet alia. Ah! ne ſic abutamur gratiis, & commoditate.

tate, quæ DEUS largè ſuppeditat, augendæ noſtræ perfectioni. Ajebant veteres, cudendum eſſe, dum ferrum calet, & occaſionem arripiendam, cùm proxima eſt. Tibi ANIMA, apprimè cognita ſunt bona, quæ rebus ità conſtitutis â te fieri deceat, imò fieri debeant; tu horum exercitationem adpromiſiſti; quid ergo tardas datam fidem implere? Iſta occaſio præterit, tempus effluit, tua bona voluntas minuitur, primus fervor, conceptum deſiderium tepeſcit, verbo, gratia ſe ſubducit, ſi eam in tuum commodum non vertas.

Si delinquendi opportunitas adſit, neque in contrarium illico nitaris, ampliorem tibi perniciem paras nihil agendo, poſtquam prælucente agnitione ſanxiſti ab hoc ſcelere declinare, illud dictum non proferre, iſtud objectum non intueri. Ne uno ſolùm momento differas, ſi ſermonem alienæ famæ

inju-

injurium cœpisti, abrumpe; si proposito obfirmâsti te certum obtutum nolle defigere, ne cogitationes illuc defige, ne tecum altercare, an oculos illuc conjectura sis, an non; sed sub initium in aliam partem eos converte. Eandem celeritatem debitam scito exequendis reliquis, quæ tecum constituisti.

Quantò remotiùs tuorum propositorum impletionem produxeris, tantò gravioribus temet periculis expones: Nam sententiæ, quam primitus contra te tulisti, sensim pœnitet, illecebræ hujus objecti augentur, voluptas incipit cor tuum attrahere, cogitationes turmatim irruunt, tentationes roborantur, appetitus, ùt vocant, servitutem excutit, animæ tuæ vires sunt succussæ, & tu ipsa obstupescis, te vix duobus digitis â tua pernicie abesse, & brevissimo tempore ad supremum lapsum proximè deductam? Et qua de causa? quia

quia ocyus tuis verbis non ſteti-ſti, & in rejectandis tentationibus ſegnior exſtitiſti.

III. *Oratio.* En alia duo media, remotiora quidem iis, quæ ſuperiùs allata ſunt, non tamen minorem efficaciam habitura. *Primum ſit Oratio, quæ mente, non verbis conſtat.* Qui huic ſe dediderunt, hos experimento diſcimus in rebus agendis majorem exhibere fervorem, majorem fidelitatem, cùm prava ſuggeſtio removenda eſt, & majores auſus, cùm poſita in arduo virtus ad ſequelam invitat. Unde hoc oritur? nimirum cùm non rarò mentem occupent penſitandis æternis regulis, cùm altè ſibi imprimant, quanti referat ſalutis negotium extra aleam ponere, quantas utilitates perfectiones, quantam abominationem ſcelera, quantam venuſtatem virtutes referant; hi cogitatus, utpote fructus multæ conſiderationis, eorum ſpi-

ritum

ritum nova repetitione ſubeunt; hæ animæ ſentiunt eo ardore ſibi corda ſuccendi, quo ſub ipſum precationis tempus flagrabant; in memoriam redit pondus illarum veritatum, quibus aliàs ſpiritus, licèt duriores, flectebantur; indè frœnum deſumunt ſe continendi, ſaniorem impulſum ſe excitandi, potens antidotum ab omni læſione DEI ſe præſervandi, atque ingens remedium ſe ad occurrentium virtutum exercitationem animandi. Vides ergo, quàm proficuum ſit mente precari, ne ſpiritus â cœpto fervore deſciſcat, aut deficiat illa animi conformatio, quam quisque ad DEI obſequium perfectè adſpirans præſeferre debet.

Secundum ſit Oratio, quam Lingua depromit. Recitatio horarum, Marianæ coronæ, Viſitatio Euchariſtici Numinis, Miſſæ Sacrificium, diſcuſſiones ſpiritûs, ad DEUM elevationes, aliæque precationes,

quibus per diem vacare licet, hoc nomine comprehenduntur. Dixi, has, atque harum ſimiles totidem eſſe adminicula inſtaurandi fervorem ſpiritûs, ſiquam imminutionem paſſus fuiſſet. Nam perſuaſum tibi habeas velim, ANIMA, fieri vix poſſe, ut tot inter diverſas actiones, tanta inter negotia, tales inter occaſiones primus ille ardor, quem ſpiritus ſub Auroram ex precatione mentis hauſerat, non incipiat paululum remittere, fieri vix poſſe, ut meliores deliciæ in noſtrum ſpiritum nihil penitus offendant, ut ira, aut aliæ pravæ affectiones nullam motionem imprimant, ut tanta rerum varietas nullam diſſipationem inducat, ut eodem ſemper tenore, quo ſub ſolis ortum eramus, ad ſerviendum DEO comparati ſimus. Itáque oportet, ANIMA, hos ignes denuo accendere, hunc ſpiritum recolligere, novas ei vires in futu-

tum

rum ſufficere, &, quantum homini fas eſt, in priſtinum, id eſt primum fervorem reſtituere. Et quî hoc fiat ? Oratione ; ſi crebriùs DEUM ore precemur, ſi mente cum eo verſemur, nihil prohibebit, quò minùs ad bene cœpta revertamur.

Hac itaque ratione, hoc intuitu, ANIMA, impoſterum deprecemur : Adeamus Orationem, veluti ignem, quo noſtræ devotioni flammæ ſubminiſtrentur, adeamus precationem, ceu medium ſecurius, quo eum in ſtatum reponamur, DEO quàm poſſumus perfectiſſimè ſerviendi ; Revertamur ab hac cum DEO converſatione tanquam homines DEI amore penitus ardentes ; redeamus â noſtris precibus DEO pleni, pleni grandium deſideriorum, ut toti ſimus illius. Tandem ab oratione redeamus majorem in modum animati ad perfectionem, nec non comparati ad faciendas pro viribus noſtras actio-

nes quàm optimè, ad fortiter reſiſtendum tentationibus, ad fervidè exercenda omnium virtutum genera, quæ ſe cunque obtulerint.

IV. *Sæpius exercere actus abdicationis, tolerantiæ, abjectionis, aut cujusvis alterius virtutis.* Quamprimùm ex me ſciſcitaberis, ANIMA, quodnam vinculum inter hoc medium, & ſpiritum fervoris intercedat, ut ad hujus conſervationem, aut novam acquiſitionem conferat? Repono ego, quàm maximum, quàm arctiſſimum, atque author tibi ſum, ut huic exercitationi initium des, & te convictam fateberis. Quocirca aſſero interdum abdicationi, aut id genus aliis virtutibus vacandum eſſe. Scire cupis fructus indè emanaturos? DEUS te novis gratiis augebit, poſtquàm primâ ad votum ejus, tuúmque commodum uſa fuiſti, majus quoque robur, téque magìs diſpoſitam ſenties, obvias quasque virtutum opportunitates

tates amplexandi. Poſtquàm ſimilis pius actus te occupatam tenuit, incrementum capies in DEI dilectione, quâ fiet, ut promptior ſis, paratiórque omnes occaſiones virtutum, quas DEUS ſuppeditârit, in tuam utilitatem convertendi; quemadmodum, qui uni gratiæ reſpondet, viam ſibi, & gradum inſtruit perveniendi ad aliam; ità ſi probis hiſce operibus operam naves, te ſemper perfectiorem, Deóque magìs amicam reddis, qui ſuarum partium ducet, tuam devotionem, ardorem, & vires adversùs tentamenta novis accenſionibus cumulare. Quod reliquum eſt, id ANIMA, conſequêris, ut harum virtutum iteratio, ſpiritum nonnihil ſopitum excitet. Labor, qui huic exercitationi adjacet, & victoria, quam de te ipſa tum reportare debes, recordationem DEI inducunt; & poſtquàm unam palmam cum inſigni triumpho collegiſti, te

accenſam deprehendes, ut aliam ex alia palmam metere, ad novam gratiam gradum facere, novámque victoriam referre latagas.

Quare te, ANIMA, pro viribus hortor, ne hunc fervorem in te tepeſcere, neque animum cunctis ex amuſſi faciendis aptiſſimum languere ſinas, minùs admitte, ut eorum, quibus te inſtitui, mediorum oblivio mentem ſubeat. 1. Frequens eſto in revolvendis iis, quæ, offerente ſe occaſione, exequi, aut devitare oportet. 2. Adpromitte DEO ea præſtare, quæ meliora intellexeris. 3. Illico iis, quæ propoſito firmâſti, intende, quin in longius executionem provehas. Tria hæc, utì aliàs retuli, uno ferè momento confient, neque horum causâ opus erit interpolare ſermonem, labores, aut precationem, loquens, orans, aut laborans ſingula præſtare poteris, ſi modica fidelitate in DEUM, &

exi-

exiguo desiderio proficiendi prædita sis. Scilicet desiderium tuæ perfectionis, & voluntas bonæ actionis, ceu totidem partes, totum fervorem efficiunt, unde teste Angelico Thoma, *fervor est inextinguibilis cupiditas bene agendi.*

PRAXIS DEVOTIONUM IN SINGULOS DIES HEBDOMADÆ.

REFLEXIONES

Super praxi devotionum.

NOn eſt intentionis meæ, te, ANIMA, obſtringere, ut ſingula pietatis exercitia, quæ ſuo ordine allaturus ſum, quot diebus obeas; verùm cupio, ut cunctas lectione decurras, mox certum delectum facias, eásque ſingillatim annotes, quas nullo non die aſſumendas ſtatuis, reliquas verò quâvis ſeptimanâ, minimùm ſemel, & quidem eâ, qua notatas repereris, die in opus deducas; Quod ſi & iſtud tibi exaggeratum videa-

videatur, ita eaſdem divide, ut quasdam hac, alias alterâ ſeptimanâ non omittas. Priùs verò, quàm ad ipſas praxes devotionum deſcendam, operæ pretium erit, mentem tuam ad nonnulla, quæ illas plurimùm commendant, reflectere. Sunt autem ſequentia:

I. *Earum utilitas.* Ut bona morte defungaris, & cœlum ſecuriùs contingas, haud aliô opus eſt, ANIMA, quàm bona devotione, cui per omnem vitam aſſueveris. O quantus eſt numerus eorum! qui, quòd ingenti devotione erga Beatam Virginem, aut aliquem Sanctorum ferrentur, maximis periculis erepti ſunt, utì ſub horam exitûs ſui agnovêre, qui elegerunt, quos errantes ſequebantur, etiam ſequi pœnitentes, atque ſic cœlum indepti ſunt, quò nunquam ſinè peculiaribus auxiliis, neque ad horum conſecutionem unquam perveniſſent, nisì per vitæ curſum

ſe conſimili devotionum genere fideles præſtitiſſent. Proinde ne dixeris, ANIMA, has exercitationes multis moleſtiis abundare, etſi tot, quot ais, imò plures ineſſent, mirabilia, quæ indè naſcuntur, commoda ſufficiant, ut te ad earum uſum obſtrictam eſſe intelligas.

II. *Abuſus, qui hìc vitari debet.* Cave ne iiſdem perperàm utaris, ùt nonnullis rerum minùs peritis uſuvenit, qui falsè in animum inducunt, nihil ſuæ ſaluti metuendum eſſe, licèt vitam ſceleribus contaminatam vivant, cùm nulla eis dies ſinè linea certarum precationum abeat. Ex hoc abuſu tuum interitum oriri poſſe ne dubita, id, quod compluribus evenit. Memento, virtutem in medio conſiſtere, atque æqualis timoris materiam eſſe, ſi tota in unam, vel tota in alteram partem propendeas. Noſtíne quid hæc inter factu opus

No-

ſit? tota accuratione precationes, ac devotiones adimple, quas è conſilio tui moderatoris ſuſcepiſti. Cura ſimul probatis moribus eſſe, præprimìs devitando peccata; & ſi præter expectationem in malum raperis, ſi quæ errata admittis, DEUS, qui obſequia ſibi impenſa liberali manu compenſat, tibi gratiam largietur â lapſu reſurgendi, téque in meliorem ſtatum collocandi. Beatæ Virginis, & Sanctorum, quorum cultui tuam pietatem addixiſti, interpellatio, peculiaria tibi ſubſidia exorabit, ut in amicitiam cum DEO redeas, & ab ea ad uſque vitæ finem non deflectas, modò tu oblatas ultro ſuppetias non prætermittas.

III. *Attentio, quâ in iisdem oportet uti.* Parùm eſt recitandis ſæpius horis, roſariis, aliísque precationibus diſtineri, ſi præcipite lingua, cum mentis evagatione, nullóque devotionis affectu id fiat. Hoc

genus precum nequit DEO, aut ſanctis arridere. Meliùs, ac conſultum magìs cenſeo, modicum, ſed Chriſtiano ardore, quàm copiosè, absque reverentia, & cordis applicatione precari. Unde non eo ſum animo, ut tibi ANIMA onus imponam, dicendi ſingulas preces, quas hoc libro deſcriptas legeris; ſed cupio, ut ab ore tui moderatoris pendeas, & illas ſolùm tibi præfigas, quas perſolvere poteris, prout decet, & pro quibus negotiorum tuorum ratio tibi otium indulſerit.

Multos ſæpe numero admiratio tenet, quòd tot Horas, & Coronas Marianas hactenus percurrerint, quin ullum pietatis ſenſum in ſe experiantur. Deſine mirari, ANIMA; has precationes ſi in ſeipſis conſideres, ſuam bonitatem, & pretium quis eis negaverit? ſed quòd tu malè efferas, unicè ſolicita, ore ſatisfacere, etſi corde procul

cul abſis, neque tuum ſpiritum diſtineas ſalubri quodam cogitatu, divinæ præſentiæ, Dominicæ paſſionis, aut aliquo eorum, quorum ſuperiùs memini, ut cum devotione ſtatutas preces dicere queas.

IV. *Confidentia Oranti neceſſaria.* Defectus fiduciæ noſtras precationes perſæpe ſuo fructu deſtituit; nemo ſalutem ſuam alteri tutò credit, de cujus viribus, & propenſo animo diffudit. Quid non ſperemus â DEO, cujus tanta eſt potentia, ac bonitas, qui ſolùm petitionem noſtram præſtolatur, ut gratias in nos profusè diſpergat. Quid non ſperemus â pientiſſima Virgine MARIA? quæ plurimùm poteſt in cor filii ſui, ac omnes ſibi devotos materna teneritudine complectitur. Quid non ſperemus ab Angelis, & Sanctis? qui DEO intimè juncti ſunt, & quæ illi cunque petierint, impetrare valent, tot milliones hominum, qui in vita,

ejúsque confiniis eos interpellârunt, atque ſuis in miſeriis ſublevati ſunt, procul dubio noſtram fiduciam adaugere debent.

V. *Fidelitas Oranti neceſſaria.* Quæſo, ne in devotionum exercitatione unquam remittas. Multi eas magnis animis inchoaverunt, ſed modico pòſt tempore â bene cœptis deſtitêre, quòd tædio affecti ſint eaſdem ſemper preces dicere, eaſdem devotiones repetere. Moleſtiæ, quæ tibi intercedere poſſet, hæc pietatis opera perſolvendi, ſua â DEO merces non deerit, & quò grandior illa exſtiterit, eò ampliora tibi merita accreſcent, ſi â propoſito non diſcedas. Nisì gravior neceſſitas, qualem morbi vis, aut inopinus caſus inducunt, urgeat, ne unquam te â conſueta devotione abſolve, ſub obtentu fatigationis, quæ ordinatos diei labores conſequi ſolet.

Quare ſpem omnem in DEO repone,

pone, præprimìs, cùm Beatæ Virginis, Angelorum, & Sanctorum precatio accesserit. Preces funde, quas amor, devotio, fiducia, & perseverantia comitentur; & impetrabis. *Sit, qui invocet, erit, qui exaudiat.* Arnold.

PRO DIE DOMINICA

Devotio ad SS. TRINITATEM.

PRæcipua, & plurimùm proficua pietas Christiani tendere debet erga tres sanctissimas Personas. Attamen hanc ferè dixeris, ANIMA, quæ præ reliquis summo neglectui habetur. Cui ampliùs debemus, cui magìs obstringimur, quàm huic magno DEO, qui nos extrahit è nihilo, ut donaret vitam naturæ, vitam gratiæ, & olim vitam gloriæ sinè

fine

fine tenendam? Considera per partes, quantopere devincta sis.

I. *Patri.* Ille est, qui te creavit, & tui causâ hoc Universum constituit. Fecit solem, ut tibi sua luce præiret, ignem, ut te calore foveret, aquam, ut tibi refrigerio esset, & cuncta in mundo, ut tibi famularentur. Fecit cœlum, ut te illuc eveheret, prædestinavit te, ut numero electorum insereret, modò tua peccata te indignam non reddant, neque suo pondere in profundum abripiant. *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* Deuter.

II. *Filio.* An ignorare potes, hunc tui causâ hominem induisse, in arbore crucis mortem subiisse, ut te repararet? Quot documentis te suo in Evangelio instituit? quot sacra mysteria tibi in sanctificationem adinvenit? Quot mediis tuam salutem roboravit? Et tu amorem ei negabis? O bonitatem!

tatem ! quis capiat ? quis ſatìs miretur ? JESUS Chriſtus ſimilis nobis, ut nos ſibi ſimiles efficeret. *Factus eſt DEUS homo, ut homo fieret DEUS.* Auguſt.

III. *Spiritui Sancto.* Nonne hic tot gratiis, tot piis cogitationibus, tot ſanctis affectionibus ſuum tibi amorem teſtatus eſt ? Quoties tibi in tribulationibus ſolatio ? quoties ín dubiis â conſilio fuit ? quoties, ut te peccatis ſubtraheret, ſuas comminationes, ſua promiſſa, ſuas divinas colluſtrationes impendit ? quoties te languentem animavit ? cor meliori igne ſuccendit ? *Inſiliet in te ſpiritus Domini, & mutaberis in virum alium.* 1. Reg.

Supervacaneum videtur plura momenta adducere, quibus tibi ad hanc devotionem ſtimulos addam, præſtabit recenſere modos eandem conteſtandi.

I. Diem ordiri, & terminare debes, ANIMA, integra tui oblatione,

ne, quâ te ipſam SSS. TRINITATI conſecres. Poſtquàm profunda adoratione eandem coluiſti, offer tuas actiones ejus honori, & ut grates rependas pro omnibus, quæ in te profudit.

Neque tibi ſufficiat, te ſemel obtuliſſe; hoc genus obſequii iterandum eſt; ſub initium cujusvis operis, quod per diem occurrit, ſigna te cruce, enuntia magna ſignificatione amoris, & reverentiæ ſacra nomina Patris, Filii, & Spiritûs S., mox ſubjunge: *Mi DEUS, hanc actionem dicatam cupio in tuum honorem, & gloriam tuam.*

Recita hodie nonnullas precationes SSS. TRINITATI præ aliis proprias; quales ſunt, Horæ de eadem, aut de Spiritu S., Litanias de S. Nomine JESU; *Veni Creator.* Ter *Gloria Patri*; aut alia ejuſcemodi, quæ devota mens tibi ſuggeret. Dixi jam aliàs, minimè â te exigi, ut ſingulas has preces uno, eodém-

eodémque die decurras; verùm, quas potes, unâ Dominicâ absolve, reliquis in sequentes Dominicas rejectis.

Dum hodie precum tuarum pensum diversis inter se vicibus persolvis, consideratione recole beneficia creationis, redemptionis, & justificationis; meditare DEI perfectiones, ejus potentiam, bonitatem, justitiam, providentiam, &c. singula nullis terminis circumscripta.

III. Cùm Horis, aliísve precibus dicendis, certa tempora insumis, quoties perventum fuerit ad illa verba, *Gloria Patri, & Filio, &c.* attentionem tuam innova, in præsentia DEI te constitue, & amoris, aut adorationis actum erga SSS. TRINITATEM elicito.

IV. Imitare S. Bartholomæum, qui singulis diebus frequentissimè in genua procumbebat DEUM adorandi ergò; quid si etiam tu hac

die

die crebriùs ſolito in genua provolvaris?

Singulari demiſſione ſaluta imagines, ſiquæ in tuos oculos incurrant, Patris, Filii, aut Spiritûs S.; cura ità orare, ac ſi DEUM tum præſentem cerneres, ídque externa compoſitione teſtatum facito.

V. In honorem SSS. TRIADIS aliquod opus afflictionis, tui deſpicientiæ, aut charitatis aſſume, erogando modicam ſtipem, ſed liberali animo, maximè, ſi â te petatur per amorem DEI. Pariter potes ternis vicibus oſculari terram, pulſare pectus, &c. ad eundem finem.

VI. Cùm Dominica DEI ſervitio deputata ſit, eandem ſanctè tranſigito; prædicationi, veſperis, aliíſque eccleſiæ functionibus intereſto: aliquantulum meditare ſuper magnitudine, & perfectionibus DEI, volve pientiorem librum, templa inviſe, & effuſiori læti-

lætitiæ minùs tribue, ut plùs ſanctioribus exercitiis des.

VII. Interpollatis per diem ſuſpiriis SSS. TRINITATEM appella. Dic frequenter, *Benedictus DEUS, & Pater Domini noſtri JESU Chriſti, &c.* Item, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, &c.* Item, *Benedicamus Patrem, & Filium, cum S. Spiritu.*

VIII. Peculiari ardore tribus Divinis Perſonis afficiâre, hunc fovebis repetendo ſequentes actus.

Fidei. Credo firmiter unum eſſe DEUM, in perſonis trinum; credo eſſe meum Creatorem, & futurum meum judicem.

Spei. O DEUS bonitatis! â tua infinita miſericordia expecto gratias, quas ſaluti meæ neceſſarias, & opportunas nôſti.

Amoris. O Pater, qui me creâſti! O Fili, qui me redemiſti! O S. Spiritus, qui tot mihi favores contuliſti, amo te ex toto corde meo;

meo ; quando erit, ut sinè velamine videam admirabile mysterium TRINITATIS.

PRO DIE LUNÆ,

Devotio pro animabus purgatorii.

PRecationes tuas iis conjunge, quas Ecclesia in locum purgantium animarum hac die fundere solet. Tria ad hoc charitatis officium te excitent.

1. *Commodum DEI.* Ità est, justitia DEI ab his animabus pœnas reposcit ; sed non minùs lætatur ejus misericordiâ, si non pauci reperiantur, qui pro iis vota depromunt, & castigationibus ultro susceptis pœnarum partem illis pauperculis debitam expungere volunt. Plurimùm quoque confert ad gloriam DEI, siquidem una harum animarum in cœlos translata,

ta, plùs gloriæ DEO per horam attribuet, ac tu toto vitæ tempore ei ſcires adferre. Audi DEUM per ſuos Prophetas querentem, neminem inveniri, qui ejus iram mitiget, & impendens terris flagellum avertat. *Quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me, pro terra, ne diſſiparem eam, & non inveni.* Ezech.

2. *Commodum harum animarum.* Tu cauſam earum agis, tu earum refugium audis, tu eximium charitatis officium hac devotione exhibes eis, quæ ſeipſas juvare nequeunt, quæque in multos annos addictæ ſunt flammis, & exquiſitis pœnis, nisì tua charitas juſtitiæ rigorem emolliat. An non percipis earum gemitus, & clamores, quibus in medio devorantis ignis tuam opem implorant, ut quà precibus, quà bonis operibus earum pœnas nonnihil minuere contendas. *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei.* Job. 3. Com-

3. *Commodum tuum.* Tu precaris, & toleras pro illuſtribus animabus, quæ in cœlum receptæ ſe gratas præſtabunt pro ſubſidio, quo eis adfuiſti, & plures tibi gratias exorabunt. Ipſe DEUS tibi paria reddet, nec committet unquam, ut, poſteaquam tu animabus ſævo carcere detentis ſuccurriſti, auxilio deſtituta eâdem cum iis neceſſitate premaris. *Quâ menſurâ menſi fueritis, remetietur vobis.* Matth.

I. Offer DEO tuas actiones, tuos dólores, & cuncta hujus diei bona opera in levamen animarum, quas in urenti fornace ad purum excoqui oporteret.

II. Nihil eis efficaciùs opitulatur, quàm ſanguis JESU Chriſti; itaque pro iisdem æterno Patri clavos, flagella, ſpinas, crucem, & plagas ſui filii oblatum eas.

Incruento Miſſæ Sacrificio adeſto, fac id ipſum ab aliis dici in animarum refrigerium: Ante omnia

nia memento, cùm ſacerdos perafta conſecratione pro iis deprecatur, DEO tuos parentes, amicos &c. vitâ functos commendare.

Cùm ſacro epulo reficeris, eos quoque fac participes; maximè pretioſo illo momento, quo JESUM Chriſtum linguâ exceperis, non negligas pro illis perorare.

III. In quibuslibet precationibus, earum utilitati deſervientibus, quales ſunt, *Officium defunctorum*, aut *ſeptem Pſalmi*, aut *Roſarium*, *Miſerere*, *De profundis*, aut quinquies *Pater*, *& Ave*, manus in crucis formam expandens, &c.

Cùm tuis precibus vacas, & crebriùs per diem, meditare pœnam damni, id eſt dilationem divini conſpectûs, quam tolerant; pœnam ſenſûs, id eſt, ardorem flammarum, quibus torrentur; debitum pro iis deprecandi commodum tibi indè emerſurum, &c.

IV. Tota accuratione adimple-

to, quæ iis debes; sinè mora exequere, quæ supremis tabulis inserta sunt, si dicenda Missæ Sacrificia, si quid in egenos dispertiendum,&c. Si religiosum statum profitearis, aut communem vitam in consortio multorum degas, vide, quàm solicitè satisfacias Orationibus, quas tuus ordo pro defunctis dicendas statuit.

Recogita, si has prætermittas, aut perfunctoriè obeas, tibi, ubi purganti igne torqueberis, majorem charitatem non obventurum, ac tu aliis impendisti.

V. Quæ ex communi ecclesiæ thesauro Christi Vicarius indulget, pro iis lucrare; templa, quæ â festorum celebritate frequentiora sunt, invise &c.

Memento illas ecclesias adire, ubi certis diebus recordatio stationum recurrit, illas quoque indulgentias, quas semel quot mensibus apud Patres Societatis Jesu obtinere

tinere potes, his animabus *per modum ſuffragii* impertire, atque in hunc finem intemerati agni ſumptionem dirige.

VI. Mediis ad earum ſolatium oppidò conducentibus annumera jejunium, eleemoſynam, caſtigationem corporis, & alia bona opera his conſimilia; neque dubites velim, etſi exigua pro iis toleres, plurimùm eas adjutum iri. Vide ergo, quænam hac die pro animabus exercitare velis.

Si amor, quo ſanguine, aut familiaritate junctis, cùm viverent, afficiebâre, te impulit, ut in eorum gratiam tot labores, tantámque profuſionem impenderes, an iis modò pauxillum ſubſidii negabis, cùm gravi adeò neceſſitate premuntur, atque medias inter flammas torquentur?

VII. Si videas emortuum corpus deferri ad tumulum, ſi campanæ ſonum pro defuncto audias,

dicito *De profundis*, aut ſemel *Pater*, & *Ave*.

Idem facito ſub finem Miſſæ, Horarum, Roſarii, aut cùm ab eccleſia diſcedis, precare pro iis, qui terræ mandati ſunt: Idem fiat ſub veſperum, poſtquàm *Angelus Domini*, cum terna Virginis ſalutatione dixiſti, & priusquàm te ad quietem componas.

Si cupias, tuis precationibus pretium, & robur ineſſe, ſerva te in gratia DEI, aut amiſſæ mox reſtitue, & tua intentione aliquam animam nominatim, aut omnes in communi complectere.

PRO DIE MARTIS,

Devotio erga Angelos.

INter tuas devotiones primas quoque partes teneat illa, quam Angelis debes, præcipuè illi, cujus cuſtodiæ commiſſa es,

es, id, quod ex triplici capite commonſtrabo.

1. *Ex meritis Angelorum.* Hi ſunt principes cœleſtis aulæ, feciales DEI, & interpretes ſupremi æquè, ac ſuperni arbitrii. Illorum venuſtas admirationem, vis, & agilitas fidem ſuperant. Illi ſunt ſpiritus corporis miſeriis exempti; illi ſunt fideles DEO ab obſequiis, qui dæmones impugnant, ſéque eorum malitiæ opponunt. Illi ſunt *domeſtici DEI, Cœli cives, Principes Paradyſi.* Bern.

2. *Ex ſervitiis, quæ nobis impendunt.* Hæc an devotionem noſtram non accendant? Illi pro nobis orant, nos contra hoſtes tutantur, plurimis periculis eripiunt, & preces noſtras DEO offerunt. Unus eorum ſemper noſtro lateri aſſiſtit, ut nos deducat per viam ſalutis, contra dæmonis incurſiones protegat, bonis cogitationibus communiat, in afflictionibus,

& tentamentis animet, nobis per omnem vitam comes eat, donec poſt exitum Paradyſo inferat. *Quid ſub tantis Cuſtodibus timeamus?* Bern.

3. *Ex ſervitiis, quæ ab iis expectamus.* Omnes nos devolvi oportet ad vitæ confinia, ad ultimum momentum. Si tuo bono Angelo fuiſti addicta, is te contra horrendos aſſultus dæmonis tum defendet, tibi in ſupremo conflictu animos addet, & gratiam ſanctè moriendi exorabit. Tum bona, & mala opera tua æqua lance appendentur; propera ſanctum Michaëlem tibi devincire, ut ſe benignum præbeat.

Grandi itaque devotione, ANIMA, tibi Angelos, ſed præprimìs tuum Tutelarem tibi demereâre. Illi reverentiam exhibe, cùm tibi ſemper adſit; illum amore proſequere, cùm te majorem in modum diligat, in illum confide, cùm pe-

culia,

culiarem tui curam gerat. *Reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro Custodia.* Bern.

En diversa media colendi Angelos.

I. Preces, quas sub Auroram, & vesperum fundis, ad tuum bonum Genium dirige, ei tuum corpus, & animam commenda, atque, ut te quocunque discrimine eliberet, ora. Dic eum in finem: *Angele DEI, &c.*

II. Gratias age DEO pro singulis favoribus, quos in cunctos cœlestes spiritus, maximè in tuum Custodem Angelum contulit; hac de causa DEO offer Missæ Sacrificium, Rosarium, aliáque bona opera hujus diei.

III. Recita nonnullas preces eorum cultui dicatas, e. g. Horas, aut Litanias de iisdem, novies *Pater*, & *Ave*, aut totidem *Gloria Patri*,

quibus novem choros Angelorum venereris.

IV. Interdum per diem tuum bonum Genium invoca; ad eum in tentationibus, dubiis, periculis, itineribus, cunctísque necessitatibus recurre.

Cùm domo egrederis, ora eum, ut tuos pedes; cùm cuipiam loqueris, pete, ut tuam linguam regat. Sæpe ei grates feras pro perpetuis, quæ tibi dicat, obsequiis.

Singulari quadam propensione tam beneficum ducem adama, & eum precare, ut ante omnia tibi â DEO impetret sanctè vivere, & bene decedere. Eadem ratione te convertere potes ad Custodes Angelos aliorum, quibuscum agis.

V. Oportet amori jungere reverentiam, quam tuus Angelus jure quodam suo â te exigit; hic cœlestis aulæ Minister tuo lateri jugiter adhæret, omnes tuas actiones, occultissimas licèt, ceu testis con-

contuetur. Nihil ergo unquam admitte, quod ejus oculos offendat, nunquam non præclaræ moderationis ſatage.

VI. Magna pietate feſtam lucem SS. Angelo rum recolito, huic celebritati præmitte ampliores preces, ſtipis elargitionem, unam, alterámve corporis afflictationem &c. Diem ipſum eorum honoribus ſacrum varia exercitatione bonorum operum ſolemniorem redde, præprimìs Angelorum obſequia in meditationis ſcopum delige.

VII. Non ſufficit eis honorem impendere, ſi renuas imitari.

1. *Eorum obedientiam*, qua Divinæ voluntati præſtò ſunt: ad apicem uſque exequere, quæ DEUS per ſua mandata, per has illuſtrationes, per vocem Prædicatorum, & per hortatus moderatorum tibi præcipit.

2. *Eorum puritatem*, quid magìs intemeratum Angelo, cui nullum

penitus cum corpore eſt commercium ? pari nitore, & ſanctimoniâ prædítus eſt, cùm peccatorem, & impudicum comitatur, atque ſi pientiſſimo homini aſſiſteret. Siqua neceſſitas urgeat cum ſceleratis converſandi, cave, ne minimam ab eis labem contrahas, & quàm tibi primùm licet, eorum conſortio te ſubtrahe.

3. *Eorum zelum*, ſummo deſiderio feruntur hominibus ſubvenien-di, quo hi ſalutem ſuam operentur, & perfidorum Angelorum vacuas ſedes impleant ; imitare hoc ſtudium.

PRO DIE MERCURII,

Devotio erga Sanctos.

SAncti DEO ſunt amabiles, & fidi noſtrûm protectores; proinde rationi conſonat eos colere juxta, ac perpendere, quanta bona pariat,

1. *Eos*

1. *Eos invocare.* Hos DEUS ſuis amicis inſeruit, & mirabili poteſtate donavit; nihil dabis in natura adeò ſtupendum, quod illi hactenus poſtulando non effeciſſent. Haud minore, atque ſuperioribus annis vi pollent; cum fiducia eorum opem require, ſeu ſpiritus, ſeu caro egeat, neque crede partibus ſuis, & tuis defuturos. *Vos ô Sancti portum tenetis, nihil ultrà vobis metuentes, ſolùm in noſtra commoda intenti. De veſtra immortalitate ſecuri, de noſtra incolumitate ſoliciti.* Cyprianus.

2. *Debemus eos imitari.* Ex hoc capite Eccleſia nobis Sanctorum exempla proponit, ut veſtigia premamus, & tales efficiamur, quales illi. Sancti fuêre homines, quales nos, iiſdem difficultatibus obnoxii, qualibus nos, ejuſdem conditionis, cujus nos, tantis laboribus diſtenti, quantis nos ſumus; cur ergo ſanctitatem non indipiſce-

ſcemur, qualem illi? ô turpem ſocordiam! *Non poteris, quod iſti, & iſtæ &c.?* Aug.

3. *Debemus nos animare, intuentes eorum gloriam.* Ah! quàm dives præmium ſibi ſuo ſudore comparârunt! quamcunque auſteritatem ſuſceperint, jam perfruuntur æviternis deliciis; quascunque abjectiones tulerint, jam eorum honor, & gloria omnem æſtimationem excedit; eſto Sancta, quemadmodùm illi, & par tibi utilitas obveniet. Quis credat, quis aſſequatur, ait S. Auguſtinus: *Volumus gaudere cum Sanctis, & tribulationem mundi nolumus ſuſtinere cum ipſis?*

I. Delige aliquem Sanctum, cui peculiarem devotionem tribuas; S. Joſephum, JESU Nutritium, Mariæ Sponſum, diſpenſatorem cœleſtium theſaurorum; JESUS, qui ejus dictis ſemper audiens fuit in terris, nihil negabit petenti in cœlis. Potes quoque numero eorum,

rum, quos ampliori pietate velis prosequi, inserere S. Annam, S. Franciscum,&c. sed hos inter illius Sancti ne obliviscere, cujus nomen portas, nec illius, qui tibi forte obtigit, vel â te assumptus est in protectorem hoc mense.

II. Dic in eorum honorem Litanias, Antiphonas, & preces his Sanctis proprias, Rosarium, &c.

Cum hasce Orationes, maximè Litanias decurris, statue te in cœlo, coram augusta Sanctorum corona, ceu te ad cujusvis pedes prosterneres, precatu, ut pro te intercedat, tibíque singulares gratias obtineat.

III. Frequenter eorum virtutes meditare, lectita animo non vago, quam vivendi rationem tenuerint; poterit hoc tibi prodesse, ad emendatiorem vitam, & mores, utì complures alii similem indè fructum tulêre. Cùm oras, ac per diem crebriùs, pensita 1.° quibus gra-

tiis eos DEUS ditaverit, 2. Quo iisdem respondérint. 3. Cogita eorum labores. 4. Eorum mercedem. 5. Eorum potentiam. 6. Eorum virtutes, &c.

IV. Sæpius DEO gratias age pro beneficiis, quæ Sanctis impertitus est; huc refer Missam, Communionem, Rosarium, & reliquas diei actiones. Singulari propensione, & cultu eos, eorum imagines, sacra ossa, &c. prosequere. Nomen tuum alicui cœtui inscribe, qui in eorum honorem collectus est. Eorum altaria ornatu, & eorum gloriam adaugere per te, & alios pro virili cura.

V. Adversis, tentatione, periculis, alióve incommodo pulsata eos interpella. Ante omnia mane, & vespere te iisdem commenda. Gratam memoriam redde favoribus, quibus eorum subventione jam potita es, & novos eis intervenientibus deposce, ante omnes

nes verò pete, primum, & maximum, ſcilicet ſanctam mortem.

VI. Si Sanctis placere ambias, eorum exempla ſectare; ſi S. Paulo, imitare zelum, ſi S. Franciſco, imitare charitatem, &c. Hodie aliquem actum virtutis, eleemoſynæ, abdicationis, &c. eorum honoribus defer; hoc genus devotionum Sanctis plùs arridet, & tibimet magìs proficuum eſt.

VII. Feſtos eorum dies exquiſito fervore obibis: pridie ad hanc ſolemnitatem oportet ſe comparare prolixiori oratione, jejunio, ſi ferre queas, &c. Expiationi animæ ſuccedat ſacra refectio, qua gratias DEO referas pro beneficiis, in hos Sanctos diſperſis, & per eorum merita, & preces peculiares tibi favores exorabis. Meditatio, & Lectio circa eorum vitam, & virtutes verſetur. Adſis veſperis, & prædicationi, quæ eorum laudes complectetur. His devotionibus octo

octo continuos dies insistere potes, si cui Sancto totidem Ecclesia tribuit.

PRO DIE JOVIS,

Devotio erga SS. Sacramentum.

HÆc dies JESUM Christum proponit in Sanctissimo Mysterio altaris adorandum, ubi illum contueri oportet ùt

1. *Nostrum Regem.* En, ô fidelis ANIMA, hunc magnum Regem cæli, & terræ, hunc tremendum DEUM, & supremum judicem, in ara positum! sub speciebus panis, & vini latet Majestas, sapientia, potentia, & totus cumulus perfectionum, queis plures, aut majores nemo cogitare possit. Vide itaque, quantâ reverentiâ adstare debeas præsenti tuo regi, tuo judici, tuo servatori, qui nos inter commorari

rari dignatur. *Ecce tabernaculum DEI cum hominibus, & habitabit cum eis.* Apocal.

2. *Noſtrum Amicum.* Hic magnus Rex vi amoris veluti extra ſe actus induit perſonam noſtri amici, noſtri fratris, noſtri medici, & noſtri Paſtoris. Ille nobiſcum degit, ſuum corpus, & ſanguinem offert, ut in communione fiat pabulum, in Miſſa Sacrificium, in altari Solatium, in morte Viaticum. An majorem erga nos propenſionem conteſtari poſſit? Et non conſtringemus intimo amore tam ardenter amantem? *Quantum dedit nobis DEUS, ut ipſius eſſemus, & ipſe ſit noſter.* Aug.

3. *Noſtrum Benefactorem.* Hìc eſt arbor vitæ, quæ ſpiritui vires ſufficit, cœleſtis fons, qui æſtum concupiſcentiæ temperat; turris David, unde arma cuique ſuppetunt ſuos hoſtes invadendi, ſéque contra eos tuendi, eſt remedium adver-

versùs peccata, & thesaurus omnium gratiarum. Tuo arbitrio relictum scias, his commodis perfrui, modò te ad eadem recipienda debitè compares. Non diffiteor, has gratias exaggeratas esse, & summè mirandum, quî DEUS tot, tantásque conferat; verum ille suam liberalitatem, & magnitudinem plus respicit, ac nostram vilitatem; jure nobis reponit, quod quidam Princeps sibi subjectis, quos immodicis beneficiis cumulaverat: Nimium est, si accipientem contemplor, non item, si dantem. *Non enim quæro, quid te accipere deceat, sed quid me dare.*

Sanctissimum altaris Sacramentum modis sequentibus venerabere.

I. Quot diebus devotè interfis Missæ Sacrificio, utpote, in quo se JESUS Christus suo Patri offert in abolitionem nostrorum peccatorum, & donationem suarum gratiarum.

rum. Interdum per diem Missas offerto, quæ per omnes orbis partes dicuntur, ut hoc pacto DEUM honores, ejus favoribus aliquid rependas, novos ab eo reposcas, & scelerum veniam impetres.

II. Crebrò divinam mensam accedas; an te justô frequentiorem putes, si fiat post octo, aut decem, & quinque dies? Christus in deliciis reponit esse cum filiis hominum; ejus convivium semper, & omnibus patet. Ipse adest, ut ad se sumendum, suásque gratias colligendas omnes homines invitet. An pari cum illis miseris dementiâ laborabis, qui ad epulas Patrisfamilias evocati, diversis sub obtentibus venire neglexerunt? si nequeas reapse te sacro epulo reficere, id spiritu fac velis, præcipuè sub Missæ auditionem grande desiderium in te excita Christum suscipiendi; poteris tum eosdem actus

actus adhibere, quos pro Communione notatos habes.

III. Interdum per diem SS. Sacramentum inviſe; Eccleſiam adire ne graveris, ut magno Regi homagium præſtes, & per actus fidei, amoris &c. cum tuo JESU verſeris. Pariter tuam præſentiam deſiderari ne ſinas, quando Chriſtus ex ſacra hoſtia benedicit, & cum hac benedicitur; ſed jugiter memento, qua compoſitione morum, tuíque objectione eccleſiam frequentare oporteat. Si hanc ingredi nequeas, ſpiritum coram ara majore ſiſte, iiſdem affectibus indulgendo, quos corpore præſens eliceres.

IV. Recita Horas, aut Litanias de Ven. Sacramento, *Pange Lingua &c.* ſæpius per diem, ſub finem tuarum precationum, quoties ſacrum hoc myſterium ſaluras, &c. dic: *Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum Altaris.* De hoc meditatio-

tionem, lectionem, & sermonem cum aliis non rarò institue. Per-sæpe, & ante omnia, cùm DEO tuo ità recondito adstas, fidem, spem, charitatem, adorationem, demissionem, petitionem, & contriti animi gemitus exerce. Interdum veniam precare, & castigationes in te ultro assume in expiationem eorum, quæ â te in conspectu JESU Eucharistici minùs reverenter gesta sunt, quæque â peccatoribus, aut fidei hostibus contra hoc mysterium perfidè geruntur.

V. Esto ex eorum numero, qui sub titulo SS. Sacramenti adunantur, ac cœtus hujus statuta exactè servato. Aut illis sociare, qui ad perpetuam adorationem Eucharistici Numinis conscripti sunt; horâ tibi assignatâ huic muneri ardenter satisfacito; in hunc finem, die illa, aut qua poteris, proximâ sacræ mensæ accumbe.

VI. Cùm SS. Sacramentum ad

ægros,

ægros, aut in auctiorem cultum ſolemniter per plateas deportatur, cum magna animi demiſſione, ac modeſto corporis habitu comitare. Aulæ Miniſter ſibi honori ducit, præeuntem principem ſequi poſſe. Cùm aliquam eccleſiam pertranſis, ſaluta JESUM dicendo: *Laudetur Sanctiſſimum Sacramentum Altaris.* Remiſſionem pœnæ pluribus diebus tolerandæ, ſeu ùt vocant indulgentiam conſequeris, quoties devotè enuncias Ad ornatum Altarium, & exteriorem apparatum contribue, ut velatum ſub pane DEUM tanto honore afficias, quanto vales.

Tandem in omni eccleſia modeſtiam ſolito majorem prætefer, nec linguæ ullum verbum, neque oculis evagationem indulge, nisì alterutrum ſumma neceſſitas poſcat; totus vultus, totáque corporis conformatio reverentiam ſpiret; zelo ferveas præpediendi cun-

cuncta, quæ in ecclesiis minùs ad ædificationem faciunt,& fiunt,verbis tuis, ac operibus palàm fac ingens desiderium, quo optas honorare, & ab omnibus honorari *Sanctissimum Sacramentum Altaris.*

PRO DIE VENERIS,

Devotio erga Passionem JESU Christi.

TU nôsti, ANIMA, hunc esse diem ante alios felicissimum, quo Christus suum sanguinem fudit, & nostrî ergò in arbore crucis expiravit. Hunc itaque iis, quæ toleravit, pensitandis consecra; crebrò oculos in crucem nostri servatoris conjice, atque hic obtutus accendet in corde tuo.

1. *Amorem erga JESUM Christum.* Ergo unicus Filius Patris, Rex cœli, & terræ, supremus Domi-

minus Universi pro nobis mortuus est ? Ergo tot inter injurias, tanta inter supplicia voluit vitam ponere ? Et pro quibus ? pro ingratis, pro peccatoribus, pro juratis suis hostibus. O quale amoris incendium, quæ bonitatis profusio in hoc eluxit ! ah quodnam cor adamante durius non colliqueſcet, cùm DEUM adeò amabilem conſpicit in cruce extremùm ſpirare, & mortem oppetere, ut nobis vitam donaret ! *Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.* Auguſt.

2. *Amorem erga Crucem.* Si innocens tanta tulit, reus quanta non ferat ? An non teipſam ſanctè odiſti, poſtquàm tua ſcelera Chriſtum in acerbiſſimos cruciatus egerunt ? Vindica ejus mortem in te caſtigationibus, ac pœnis ultro ſuſceptis. Quid ais ? quid agis ? viſa cruce, tu, cui nihil in amoribus eſt præter delicias, tu, quæ nîl ma-

magìs odio habes, nisì crucem? Intereà huic humeros ſubmittere, te ipſam, cum pravis affectionibus in crucem agere neceſſe eſt, ut ad cœlum tendas. Quale dedecus, ſi in tuorum ſcelerum expiationem, ſi JESU amore nequidquam tolerare velis, poſtquàm is tui causâ talia ſuſtinuit? Quî nomen Chriſtiani gerimus, ſi Chriſtum non ſequamur? *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Matth.

3. *Odium erga peccatum.* Vide hoc caput ſpinis incinctum, has manus clavis pertuſas, hoc latus mucrone transverberatum, hoc ſacrum corpus tot ictibus lacerum! ah! tua delicta JESUM hiſce tormentis ſubjecere. Ad pedem crucis proſtrata averſionem â peccatis, nullo unquam tempore ponendam, concipe, torrente lacrymarum præterita dilue, & adpromitte potiùs mori, quàm tuum JE-

SUM denuo cruci affigere. *Attritus eſt propter ſcelera noſtra.*

I. Cùm precaris, Miſſæ ades, & crebriùs per diem, in conſideratione aſſume Domini cruciatus. Magna teneritudine intuere crucifixum, amplexu ſtringe, neque eos conſectare, quibus nullus eſt crucifixi uſus, præterquàm in lectulo mortis. Elice ferventes actus *Amoris.* Quæ major Charitas, ac mori pro eo, quem quis diligit? *Gratiarum actionis.* Ubi debita retributio pro tanta gratia? quî poſſit memoriâ excidere tam grande beneficium? *Contritionis.* Ah peccatum! tu in mortem dediſti meum ſervatorem, ô dolor! *Spei.* En ſanguinem infiniti meriti, theſaurum gratiarum, & lytrum pro toto mundo. *Reſignationis.* Diſce ad exemplum JESU cum tolerantia tuam crucem ferre. *Compaſſionis.* Eheu! quis non tangatur Miſe-

ratio-

ratione Christi inter supplicia adeò acerba positi ?

II. Dic aliquas preces in honorem patientis Domini, quales esse possunt, Horæ, aut Litaniæ de passione, *Vexilla*, *Miserere*, aut quinquies *Pater*, & *Ave*, expansis in crucis modum brachiis. Adora quinque vulnera singillatim, apud quodvis aliquam gratiam ora, additis *Pater*, & *Ave*, & osculo terræ, aut tunsione pectoris.

III. Tuo in conclavi crucifixum sublimè erectum habeto, quem ingrediens, egrediénsve salutes. Defer super te aliquam crucem, ceu habitum tui Magistri ; & cùm in aliquam incurris, corde, aut ore devotè intona : *O Crux ave &c.*

IV. Ad tuum Crucifixum cum fiducia recurre ; si tentatio instet, manu crucem prehende, his armis dæmones subactos quis nescit ? signa te hoc S. Signo, mox subde : *Ecce crucem Domini, recedite pravæ*

cogitationes, *fugite poteſtates inferni.* Si afflictio deprimat, ſolatium â JESU Crucifixo require, ejus tolerantia te docebit tuam crucem portare. Si in quod erratum proruiſti, ad ejus pedes te proſterne, obteſtans, ut pretioſo ſuo ſanguine te â peccatis abluat, & gratiam tribuat ad lapſum non revertendi.

V. Circumfer in corpore tuo, ad imitationem S. Pauli, quædam ſigna, ceu ſtigmata, Dominicæ Paſſionis. Hac die afflictationes præter ſolitum majores, internas æquè, ac externas tibimet injunge; ſubtrahe aliquid refectioni, oblectationibus, ſomno, &c. latera ferrato, aut ſetoſo cingulo, dorſum flagellis excipe, &c. Profectò convenit te nonnihil pro JESU pati, quando is pro te in cruce moritur. Multi ſequuntur JESUM ad uſque montem Thabor, non item Calvariæ; etſi amoris veritatem ſecurè comprobet, pati pro dilecto.

Sæ-

Sæpiùs perpende, ANIMA, hos clavos, hæc flagra, has ſpinas, hanc crucem, & ediſſere, an non molliorem tuam vivendi rationem reprehendant.

VI. A meridie ſub horam tertiam dic ſemel *Ave Maria*, & adde: *Benedicta ſit hora, qua JESUS mortuus eſt: Mi ſervator, largire mihi gratiam bonæ mortis.* Hæc devotio uſque huc per totũ orbem diffuſa eſt. Multis non ſufficit eâ uti die veneris; ſed eandem ſingulis diebus repetunt; hunc in finem divino epulo reficiuntur, aliísque piis operibus vacant, nimirum ut ſibi, & iis, quibus hæc erga Chriſtum pietas cordi eſt, detur beata morte defungi.

PRO DIE SABBATHI,

Devotio erga SS. Virginem.

HAud meliore devotione reliquas terminabis, atque illâ, quam matri DEI debes impendere, quæque inter indicia reponitur animæ ad cœlum deſtinatæ. Quare ſingulari deinceps propenſione Mariam tibi ſtudeas demereri, id, quod libens, lubénsque præſtabis, conſiderando illam in ordine.

1. *Ad DEUM.* Maria indubiè ſummis rebus accenſenda venit, quam Pater delegit in filiam, Filius in matrem, S. Spiritus in ſponſam, tota Trinitas in ſuam. DEO placuit maximis illam gratiis, & præcipuis exemptionibus cumulare, quod teſtatum fecit in Virginis Conceptu, in quo nihil non intemera-

meratum, in omni ejus vita, in qua nihil non mirabile, in ejus morte, in qua nihil non Sanctum, in ejus cœlesti triumpho, in quo nihil non magnificum erat, quando Angelis, & hominibus Reginam præfecit. *Cæteris per partes, Mariæ autem se totam infudit gratiæ plenitudo.* Hieron.

2. *Ad se ipsam.* Si Maria in partem tot gratiarum venit, certè inutiles non reddidit; fuit ejus vita non interrupta virtutum exercitatio, ejus amor in DEUM ardens, quàm qui maximè, ejus demissio profundissima, ejus puritas similis sinè simili, ejus obedientia, tolerantia, aliæque virtutes supra prodigium magnæ, & sanctimonia, quàm sibi comparaverat, cunctos supernos spiritus, & cœli cives longè transcendit. Ecquis non amabit Reginam omnibus numeris absolutam? *Sicut est incomparabile, quod gessit, & ineffabile, quod percepit,*

ità eſt incomprehenſibile, quod meruit. Damaſc.

3. *Ad nos.* Maria eſt mater noſtra, erga nos prodigiosè bona, & benefica; ſolùm opus eſt cum fiducia ſe ejus brachiis committere. Ulla apud ſuum Filium plurimùm poteſt, nec eſt in orbe Provincia, quæ fructus tantæ protectionis non perſenſerit; eſto ei devota, illa te adversùs dæmones propugnabit, tibi viventi ſingulares gratias exorabit, te cum morte luctantem ſolabitur. Itaque ſæpe illam invoca, dicens: *O ſancta Virgo, mea bona Mater aſſiſte mihi; Clamavi ad te Domina, tu es auxilium meum.* Bern.

I. Crebrò ſanctam Virginem interpella, maximè in precibus manè, & veſpere tibi uſitatis; offer te ad ejus obſequia, & gratias poſce, quibus te novit egere. Enuncia crebrò dulcia Nomina *JESUS*, & *MARIA*: præſtat hæc, non item dœ-

dœmonem, ferre in ore, ſi quid adverſum præter ſpem ingruat.

II. Nullam vitæ diem elabi ſinas, quin ejus honoribus aliquas precationes dedices, atque has, ceu tributum, tuæ tamen devotionis indicium exactè perſolvas. Poteris dicere Horas, quas vocant majores, de B. Virgine, aut illas, quæ inſcribuntur de intemerato Virginis Conceptu; coronam, quæ ab ea nomen ſortita eſt, Marianam, aut aliam minorem, duodecim *Ave*, & tribus *Pater* conſtantem &c. verùm ante omnia dic quot diebus Lytanias pro bona morte conſequenda.

III. Sæpe in ejus honorem Miſſam fac audias, aut dici facias; offer eandem unà cum tuis precationibus, caſtigationibus, & reliquis actionibus DEO, in grati animi ſignificationem pro beneficiis, quæ in illam diffudit, & ut interveniente hac cœli, terræque Regi-

na in te gratias conferat, quæ peculiari ratione ad tuam ſalutem ſpectant.

IV. Iis, qui in unum cœtum collecti filii Mariæ audiunt, aggregari cura. Si huic cœtui nomen â Roſario, id ſemel ſingulis ſeptimanis ampliori fervore recitabis. Si â ſcapulari, id devotè geſtabis, obſervando unà, quæ ab his membris leges exigunt. Cæterùm cuicunque Marianæ communioni nomen dederis, cura pro debito tuo, ut omne punctum feras boni Conſodalis, atque è merito genuinus ſervus Mariæ dicaris, quæ non patietur pro impenſis ſibi obſequiis vices ſuas deſiderari.

V. Ad horæ ſonum ſemel dic *Ave Maria*, Pontifex Leo X. mille dierum remiſſionem indulſit, qui huic devotioni vacaturi ſunt. Neque omitte manè, meridie, & veſpere, ternum illud *Angelus &c.* Plures Romani Præſules, hæc dicturis

Cturis ingentes è Christi meritis thesauros, alii indulgentias vocant, lucro dederunt.

VI. Exiens, aut rediens ad tuum conclave, dic salve nostræ Dominæ, téque illi commenda; ità æmulaberis multorum constantem pietatem.

VII. Egenis aliquam largitudinem, tuo corpori afflictationem, utrumque Virginis honoribus tribue. Singulis Sabbathis una solùm refectione, aut saltem aliquâ abstinentiâ utere, tantæ Matris amore.

VIII. Ad manus, & ante oculos habe ejus effigiem, hanc reverenter cole, utì & illas, quæ tibi per viam occurrent. Nonnulli ante Marianam iconem, Sabbatho, aut pridie festorum, lampadem accendunt. Ad ornanda ejus altaria, & sacella concurre, donando, aut commodando, quæ poteris; Illa

oblivioni non dabit, tenuiſſima licèt obſequia ſibi impenſa.

IX. Sacratas eidem ædes inviſe, non curioſitatis, ſed devotionis impulſu: ejus laudes è ſuggeſtu attentè excipe, de ejus magnitudine, & virtutibus frequentes meditationes, & in conſortiis ſermones inſtitue, & procura ubique locorum inflammare amorem in Mariam.

X. Feſtos ejùſdem dies magna devotione recole; præmitte his jejunia, precationes ſolito plures, caſtigationes, &c. Euchariſtiam ſume in gratiarum actionem pro beneficiis, quæ DEUS hac die, & hoc in myſterio Virgini exhibuit; ea interveniente peculiares gratias tibi depoſce. Meditatio, & lectio fiant de myſterio, oblationem, qua teipſam ei dicâſti, renova, & adpromitte te in omnibus, & per omnia victuram, qualiter ejus natos decet.

XI. Præ

XI. Præ omnibus ejus virtutes imitare, charitatem, demissionem, puritatem, & obedientiam. Quò sanctæ Virgini per imitationem similior evades, eo impensiùs ab illa amaberis.

PRAXIS ACTIONUM.

REFLEXIONES

Super praxi Actionum.

I.

Neceſſitas eas bene faciendi. Nequeo linguâ, aut calamo ſatìs explicare, quàm ſummè neceſſarium cenſeam communes diei actiones bene peragere. Has ſingulis diebus fieri oportet, proinde ſi debitè peragantur, ecce dies omnes ſanctimoniâ plenos; & quia noſtra vita ex his diebus componitur, en noſtram vitam penitus ſanctam, ex adverſo ſi uſu receptas actiones perperàm exequamur, quot dies, quot menſes, quot anni nobis inutiles elabuntur? Etenim cùm omnes noſtri

ſtri anni non conſtent, nisì iiſdem operibus, quæ ſingulis diebus perficimus, ſi omnibus his operibus malè fungamur, mercedem recipere non poſſumus, atque ſic omne tempus, ceu deperditum ſentiemus.

II. *Ordo, qui in iis ſervandus eſt.* Omnia ordinatè, & juxta dimenſum agere convenit, ſecùs confuſio eis adnaſcitur, neque in longum perdurant. Itaque tibi, ANIMA, ordo præfigendus eſt, quem in cunctis actionibus totius vitæ ſecteris; ſub initium hujus libri aliquem tibi ſuggeſſi, hic tuo uſui, & utilitati ſerviet. Cùm quis prævià notitià didicit, quid quâvis horâ diei faciendum occurrat, id præſtat majori applicatione, & gaudio, quàm ſi caſu, aut nîl antehac cogitans exequatur. Adde, quod ordo, & regula, quorum imperio certum tempus cuivis operi præfinis, commodum aliud non me-

dio

diocre parere ſoleat; nimirum cùm occupationibus nunquam deficias, temporis curſum breviorem experiêre; & poſtquam opus, quod præ manibus habes, ad calcem deduxeris, illico te ſolicitudo tenebit ſecuturæ actionis.

III. *Defectus, qui in iis vitandi ſunt.* Tuis actionibus, ANIMA, communiter obeſt, 1. quod opereris ex conſuetudine, & longo uſu; quin animum, & intentionem ad DEUM reflectas. Quare ab hac incuria tibi deinceps cavendum eſt, neque committendum, ut negligas unquam, ſi quod opus auſpicaris, mentis oculum in cœlum defigere. 2. Bonitatem tuarum actionum præpedit, quòd pravos fines eiſdem ſtatuas, non DEUM, ſed ſenſuum oblectamenta, ambitionem, &c. hæc ſiniſtra ſtudia angue pejus devitabis. 3. Tuis actionibus haud modicum mali adjacet, cùm eaſdem perfunctoriè obeas,

nec

nec cordi ſumas exercitare quàm optimè. Diſcute dehinc, quid in quavis obſervandum habeas, ut omnibus, & ſingulis debitam perfectionem pro virili adjungas. Reperies in his foliis opportunam methodum, cura ad apicem ſequi.

IV. *Interdum tuas præxes perlege.* Nonniſi gravi de cauſa te hujus monitam volo. Parùm eſt, modum qui actionibus præſcriptus eſt, una lectione percurriſſe, lectitare oportet, cùm pronum ſit obliviſci. Unde quavis hebdomade, aut minimùm quovis menſe diem delige, quo normam tuis actionibus definitam relegere, ac mentem tantisper reflectere poſſis, quam agendi rationem teneas, quàm perfectè opereris. *Hoc fac, & vives.* Luc.

ACTIO-

ACTIONES CHRISTIANÆ.

SURRECTIO.

I.

HAbeto certam ſurgendi horam, neque torpori locum cede; ſed celeriter te è ſtrato proripe, ut, quàm promptiſſimè licet, tempus adeò pretioſum in tua commoda vertas.

II. Cùm evigilas, primam cogitationem ad DEUM, non ad mundi negotia dirige; ſigna te cruce, & dic JESUS, Maria, Joſeph: *Mi DEUS, te amo ex toto corde meo.*

III. Cùm te veſtibus induis, memento, non vanitatem, ſed modeſtiam habitu præteferre. Cavetum levitatem, aut quidpiam decentiæ adverſum admittere. Poteris unà occupare linguam nonnullis precibus, aut mentem recordatione

nc

ne ſecuturæ meditationis, ut ſopitum nonnihil ſpiritum ad devotionem excites. Animum quoque præviè advertere licet, ſi Euchariſtico pane reficienda ſis. Si primæ diei actiones cum fervore fiant, idem in ſubſequas diffundetur.

IV. Cùm ſub Auroram precatio de genibus facienda eſſet, ne, quæſo, ANIMA, unquam obtendas, te aſſumendo veſtes jam aliquot *Pater* dixiſſe, aut tuis negotiis urgeri. Quid? Ergo DEO negabis momentum, & reliquum totius diei mundo dabis? Igitur, quidquid obſtat, diem ab Oratione ordire.

PRECES MATUTINÆ.

I.

ADora DEUM, & in ſignum reverentiæ, te cum profunda inclinatione in genua demitte, dicens: Summè ſancta, & adoranda Trinitas,

nitas, Pater, Fili, & Spiritus S., te adoro, téque ô magne DEUS, agnoſco ſupremum Dominum cœli, & terræ.

II. *Gratias age DEO pro omnibus, maximè, quòd te hac nocte conſervaverit.*

O DEUS bonitatis! qui me creâſti, redemiſti, & tot favoribus cumulâſti, gratias tibi ago pro cunctis beneficiis, præſertim, quòd hac nocte me incolumem ſervaveris, æternùm te laudent, & benedicant Angeli, & Sancti. Amen.

III. *DEO te offer, ut eidem hodie bene ſervias.*

Offero meas cogitationes, verba, opera, & tolerantias hujus diei, ut tibi placeam, & tuam ſanctam voluntatem perficiam; renuntio omni pravæ intentioni, quam ſenſuum perverſitas, vanitas, & mentis elatio ingerere poſſent; nolo quidquam hodie loqui, aut agere, nisì amore tui, nisì cedat in gloriam tuam.

IV.

IV. *Sponde illi fidelitatem, & fugam peccati, cui maximè obnoxia es.*

Mi DEUS, amo te ex toto corde meo, doleo te â me offenſum, quia infinitè bonus es; intendam hodie bonis operibus, tuis ſanctis inſpirationibus promptè obſequar, devitabo peccata, illud præprimis, cui plurimùm ſubjecta ſum.

V. *Pete gratiam hunc diem ſanctè tranſigendi.*

O Domine, tuis gratiis mihi aſſiſte, ut hunc diem ſinè tui offenſione tranſigam; robur mihi in tentationibus, & perſeverantiam in tuo ſervitio tribue.

Commenda te Virgineæ Matri, Sanctis, & tuo Cuſtodi Angelo.

O Sancta Virgo, mea bona Mater pro me DEUM precare; Sancte Joſeph, Angeli, & Sancti, & tu Sancte N. mi Patrone exora mihi gratiam hunc diem piè decurrendi. Mi bone Angele tibi animam meam, & corpus meum committo, pro-

protege me contra dæmonis insultus, omnia pericula â me averte, & tam feliciter deduc, ut ad cœlum perveniam. Amen.

Finem his precibus imponant *Pater*, *Ave*, *Credo*.

MISSA.

I.

UNa ex primis, & præcipuis tuis devotionibus, ANIMA, esse debet, ut quot diebus Missæ interfis. Hoc Sacrificium, quod DEO offertur, corpus, & sanguinem JESU Christi complectitur; possítne aliquid grandius, & acceptum magìs æterno Patri dicari, quàm unicus ejus filius? nonne in hac pretiosa oblatione optimum medium nacta es, omnia pro tuo arbitratu impetrandi?

II. Huic adsta cum ingenti compositione, ac plena tui abjectione. Sanctitas loci, magnitudo actionis, præsentia JESU Christi te

te obſtringere debent, ut tuos oculos in obvia quæque evagari non ſinas, & tuam linguam coërceas, ne citra extremam neceſſitatem ullum verbum proferat.

III. JESUS Chriſtus ſuum corpus, & ſanguinem in SS. Euchariſtia nobis reliquit in pignus amoris, & in perennem memoriam ſuæ mortis; unde qui huic myſterio devotè cupit adeſſe, è re fecerit, ſi Domini cruciatus, & agonem meditetur. Quemadmodum habitus Sacerdotis, cum præcipuis ad Miſſam ſpectantibus hæc nobis myſteria in mentem revocant. *Sacerdos* præſentat JESUM Chriſtum; *Caſula*, crucem, quam is portavit; *Altare*, montem Calvariæ; *Calix*, & *Lintea aræ*, tumbam & ſudaria, quibus is erat involutus.

Poteris quoque meditari ejus Nativitatem ad *Gloria in Excelſis*; ejus vitam Apoſtolicam, inſtitutiones, & miracula, *ad Evangelium*; ejus

ejus ingreſſum in Jeruſalem, *ad Sanctus*; ejus crucifixionem, *ad Elevationem*; ejus mortem *ad diviſionem hoſtiæ*; ejus ſepulturam *ad Communionem*; ejus aſcenſionem in cœlum, *ad Benedictionem*.

IV. Donec Miſſa dicitur poteris volvere coronam Marianam, aut dicere Horas, aut alias preces tibi uſitatas. Id, quod præpedire non debet, quò minus cogitatibus ſequaris præcipuas hujus Sacrificii actiones, & internos actus exercites, quos hunc in finem annotare placuit. Modico poſt tempore tua mens aſſueſcet memoratos actus elicere, licèt ore ſimul preceris. Ego tibi author ſum, ut poſitâ inferiùs normâ utaris, cùm illa triplicem modum comprehendat, quorum quisque ad utilem auditionem Miſſæ deſervire poteſt, & pius eſt. 1.mus Meditari Paſſionem Domini. 2.dus Certas Orationes perſolvere. 3.tius Animum iis actibus im-

imbuere, qui præcipuis partibus Missæ respondeant.

PRAXIS PRO MISSA,

MIssam in sex partes divides; in quavis factura, quod sequitur. Cura tunc hunc libellum ad manus habere, ut scias, quos actus quælibet pars Sacrificii exigat. Cura quoque certum tempus habere, quo tuas Horas, aut alias precationes dicas: Postquàm tibi hæ paginæ in prolixiore usu fuerint, opus non erit ad harum lectionem ulteriùs recurrere, sed tu facilitatem indues orandi unà, &, quos didicisti, actus exercendi. Si nolis Missæ tempore singulos elicere, elige ex his solùm aliquos, aut horum similes, & crebriùs exercita.

Prima Pars usque ad EVANGELIUM.

HOc tempus insume petendo veniam

peccatorum, in quæ cogitatione, verbo, opere, & omissione prolapsa es.

AD CONFITEOR. Id magno sensu doloris recita, & subjunge: O DEUS Majestatis, offero tibi Sacrificium corporis, & sanguinis JESU Christi in expiationem omnium meorum delictorum: Ah! quàm doleo, quòd te tam graviter offenderim, & meis sceleribus optimum servatorem meum in mortem egerim. Spondeo, & juro, me nolle ampliùs peccare.

AD OREMUS. Pete â Deo cum Sacerdote necessarias gratias, obtestando per intercessionem Virginis Mariæ, Sanctorum, ac præprimìs Sancti, quem Ecclesia hodie recolit, & claude tuam petitionem dicendo. Per Dominum nostrum &c. *Tibi hìc supplico per merita, & pretiosum sanguinem JESU Christi.*

Poteris intereà decurrere decem grana rosarii, aut Matutinum ex Minore Officio, aut alias precatio-

tiones pro arbitrio tuæ devotionis.

AD EVANGELIUM, & ad *CREDO*. *Hoc ſimul recitabis, addendo hunc actum fidei:* Mi DEUS firmiſſimè credo omnia verba hujus ſancti Evangelii, nec non omnia, quæ Eccleſia proponit, quia tu dixiſti. Gratias tibi ago, mi ſervator, quod in mundum veneris, ut mé viam cœli doceres; Da auxilium, ut veritates, quibus me eruditiſti, probè exequar, & ſanctis tuis inſpirationibus promptè obediam.

Secunda Pars ab Evangelio uſque ad SANCTUS.

Offer Miſſæ Sacrificium in honorem DEI, & gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, quæ ab eo, ab omnibus Sanctis, maximè â Sancto N. cujus feſtum hac die recurrit, in te profecta ſunt.

Magne DEUS, cœli, & terræ conditor, hunc panem, & vinum, quæ

in corpus, & ſanguinem JESU Chriſti convertentur, tibi offero in agnitionem ſupremi dominii, quod in omnes res geris, & in gratiarum actionem pro beneficiis, Creationis, Redemptionis, Juſtificationis, & aliis innumeris, quibus me affeciſti. Atque, ut aliquid retribuam, offero tibi meum corpus, & animam, totum quod ſum, & poſſideo, deſiderans unicè victima eſſe conſecrata gloriæ tuæ.

AD LAVABO. Pete puritatem accedentibus ad altare Domini neceſſariam, & elice Contritionem: O JESU, qui tuorum Apoſtolorum pedes laviſti, priusquàm te illis ſumendum traderes, dona mihi ingentem puritatem, & effice, ut lacrimis pœnitentiæ mea peccata abluam. Doleo ex toto corde meo, quòd infinitam tuam bonitatem offenderim.

Hìc iterum licebit decurrere decem grana Roſarii, vel Laudes ex minore Officio.

Tertia

Tertia Pars, à Sanctus usque ad ELEVATIONEM.

MEditare patientis Domini Mysteria, injurias illatas â discipulis, quorum unus eum prodidit, alter negavit, omnes deseruêre; â Judæis, qui ei tot alapas, & mille alios contemptus in faciem impegerunt; ab Herode, qui eum alba veste induit illudendi ergò. Meditare flagellationem, in qua ad ossa usque dilaniatus est; coronationem spinis horridam; decretoriam contra eum mortis sententiam, quî ad Calvariæ locum deductus sit crucis pondere onustus; quî â lictoribus in crucem actus, pertusis terno clavo manibus, & pedibus; quî duos inter latrones medius pependerit.

Ah! mi amabilis Redemptor, ego sum illa tot criminum rea, ego te prodidi, ùt Judas; ego te sæpiùs negavi, ac Petrus; ego te turpiter reliqui; ego modicam voluptatem tuæ Divinæ Majestati præ-

tuli ; ego mea libidine, irâ, & vindictâ te adeò laceravi ; ego, ego te meis ſceleribus cruci affixi.

AD MEMENTO. Cùm Sacerdos junctis manibus precatur, tu ità Orabis. O JESU, qui tantæ bonitatis fuiſti, ut pro inimicis Patrem deprecareris, illis ignoſceres, & latroni tecum crucifixo Paradyſum promitteres ; licèt ego ſim grandis peccator, attamen cum ingenti fiducia ad te recurro, obteſtans per merita tui pretioſi ſanguinis, ut mihi peculiares gratias, eas maximè, quibus me nôſti magìs indigere, benignè largiaris ; hanc virtutem N. victoriam hujus pravæ affectionis N. ſucceſſum hujus negotii, valetudinem, &c.

Pari affectu te oro pro meis Parentibus, cognatis, amicis, &c. pro ſummo in terris capite pro Aug.mo Cæſare, pro Principibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, pro converſione infidelium, & peccatorum &c.

Hìc

Hæc iterum, si libet, decurres decem grana Rosarii, aut Primam ex minore officio.

AD ELEVATIONEM. Adoro te mi Divine servator, qui meæ salutis causâ in crucem sublatus es; credo te hìc præsentem, agnosco unà meum supremum Dominum, téque amo ex toto corde meo. Adoro te ô pretiose sanguis, qui pro me effusus es, ah! omnes maculas meorum peccatorum abluc. Amen.

Quarta Pars, ab Elevatione usque ad PATER.

Age cum tuo JESU, quem super altare cernis, per actus fidei, spei, &c.

Adora quinque vulnera. O mi JESU omni adoratione dignissime; ergo hac in ara ades, ut te in Sacrificium æterno Patri offeras, & per merita tam pretiosæ oblationis justissimam contra nos iram mitiges? amo te propter te ô summè

amabilis JESU! credo tibi de te, téque adoro, ô ſummè adorande JESU! ſpero â te, per te ô liberaliſſime JESU! en me cum Magdalena ad tuos pedes abjectam, ut mea ſcelera deplorem, & tuam miſericordiam implorem.

AD MEMENTO. Precare cum Sacerdote pro animabus in purgatorio detentis. Ah JESU! extende obſecro, merita tui pretioſi ſanguinis ſuper vivos, & mortuos. Minue pœnas, mitiga dolores, quibus inter purgantes flammas torquentur mei Parentes, amici, benefactores N. N. vitâ functi.

AD NOBIS QUOQUE PECCATORIBUS. Pulſa pectus tuum, inter hæc dolentis animi ſuſpiria. Mi Divine Servator, qui te in crucem egerunt, videntes in tua morte obſcurari ſolem, tremere terram, monumenta aperiri, percutientes pectora ſua revertebantur, & gravitatem ſui criminis agnoſcebant. Eheu! ego mor-

mortis tuæ cauſa, magìs tamen inſenſibilis ſum, quàm omnes creaturæ. Ignoſce, mi DEUS, fac mecum miſericordiam.

AD PATER. Quid non ſperare debeo, ô mi Redemptor, per infinita merita tui pretioſi ſanguinis? Ego â te fidenter peto, id, & eo ordine, quod, & quo nos juſſiſti ad te, & â te orare; infinita tua bonitas, & potentia mihi ſpem faciunt cuncta obtinendi. *Pater noſter, qui es, &c. poterit hìc iterum inſeri pars Roſarii, aut aliæ precationes.*

Quinta Pars, uſque ad finem Communionis.

FAc Communionem ſpiritualem, id eſt, excita in te magnum deſiderium ſuſcipiendi Chriſtum, & eoſdem actus elice, quos exercere ſoles reapſe cœli pane reficienda.

AD AGNUS DEI. Actus doloris. Heu! quàm bene intelligo, mi DEUS, quòd mea delicta hac ſa-

cra refectione me indignam reddant. O Divine Agne, qui tollis peccata mundi, condona mihi omnes offenſiones, & me ſemper in tua ſancta gratia conſerva. *Actus fidei.* Credo, mi DEUS, quia tu dixiſti, quòd in hoc Auguſtiſſimo Sacramento tuum Corpus, tua Anima, & tua Divinitas ſit recondita; cum tota reverentia cordis mei te adoro. *Actus deſiderii.* Veni, ô JESU, veni in cor meum; ô quàm vellem te hodie ſumere, ah! quando hac ſorte beabor. Offero tibi omnes meas actiones, omnia bona opera, quæ faciam, obſecrans, ut cor meum diſponas, quò in proxima cõmunione te dignè ſuſcipiam.

AD DOMINE NON SUM DIGNUS. Actus demiſſionis. Domine non ſum dignus te ſuſcipere, cùm ego nihil ſim, nisì miſer peccator, & indignus, qui in tuo conſpectu compaream, & cùm tu ſis magnus DEUS cœli, & terræ. *pro-*

ſequæ-

ſequere hos actus, aut alios ejuſmodi, Amoris, Oblationis, &c. dein tuas preces vocales.

Sexta Pars, Reliquum Miſſæ.

QUod Reliquum eſt Miſſæ, impende agendis gratiis, & firmandis propoſitis, hac die ad tuam ſalutem utendi. Cogitatione præveni principes defectus, quos evitandos habes, & bona opera, quorum velis hodie ſatagere. Poſtquàm mei causâ in cruce oblatus es, & etiamnum de cœlo venis, te ſuper aram pro me oblaturus, an minùs facere poſſum, ô mi Divine Servator! quàm ut me tibi toties dedicem, & tuis obſequiis ferventiùs applicem, ac hactenus fecerim?

Mi DEUS, millies tibi gratias ago, utinam rependam! pro omni bonitate, quâ me prævenisti, pro omnibus gratiis, quas mihi tribuisti; ut tibi aliquas vices reddam, volo hodie declinare ab hoc

peccato N. exercere hanc virtutem N. mihi in illa occasione vim inferre &c. Da, ut sancta proposita factis confirmem. Te rogo per merita JESU, Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, præsertim Sancti N. quem Ecclesia hodie recolit. *Per Dominum nostrum JESUM &c.*

AD BENEDICTIONEM. O JESU! qui ascendens in cœlum Apostolis tuam benedictionem impertitus es, benedic mihi, & omnibus, qui huic Sacrificio adfuerunt, & largire nobis gratiam sanctè vivendi, & moriendi. Amen.

NEGOTIA, & LABORES.

I.

POstquàm te Divina Providentia in hoc statu, aut illa conditione collocavit, cura debito muneris tui satisfacere, atque usum temporis sanctum reddere. Si te ne-

necessitas ad labores adstringat, benedic DEO, qui tibi de medio providit, fugiendi otium, omnium vitiorum facilè primam originem.

II. Si nulla te necessitas cogat, manus laboribus commodandi, ne plusculum temporis falle confabulatione, minùs utili, prolixiore lusu, aut continuis oblectamentis. Nunquam quis paratior invenitur ad malè agendum, quàm cùm nîl agendum suscipit, sanè infelix, quem unicè occupatum tenent ludi, commessationes, & studium se distrahendi.

In quocunque statu verseris, semper erit, quod ad utilitatem tuam, aut aliorum te occupet, modò velis, seu vires corporis, seu spiritum intendas, oportet, ANIMA, tempus partiri, & suum singulis, quæ quavis die facienda occurrunt, tribuere, quin ab hac observantia ullis ex causis desciscas; sic horæ tibi celeriùs fluent, & pec-

catorum occasiones non tot, quin plures effugies.

III. Priusquàm labori, aut alteri negotio initium des, DEO eadem offeras, si cupis suo merito non carere, dic: *Mi DEUS, ut tibi placeam, & quia tuæ sanctæ voluntati itâ statuere visum est, fiat hoc.* Vel verò: *Amore tui, & ad majorem tuam gloriam hoc faciam; suscipe hoc opus in unione omnium operum Christi, & Sanctorum.* O si indè tantum gloriæ in te *conferre possem, quantum illi contulerunt.* Sub ipsa actione tuum spiritum ad DEUM eleva, renovando intentionem, quâ illi soli placere desideras; & cave sis, ne ambitio, curiositas, amor tui ipsius, respectus hominum, aut alia perversa intentio in tuas actiones irrepant. Quanta Commiseratio! videre plures, qui ferè ad internecionem usque per omnes dies laboribus atteruntur, qui corpus, & spiritum sinè intermissione frangunt, qui multùm

tùm ferunt, nihilò tamen minùs, nullum eis commodum, meritum nullum enascitur! unde hoc ANIMA? Altè animo imprime; 1. ex defectu probæ intentionis, non enim quærunt placere DEO. 2. Ex prava intentione; agunt enim elatione, aut amore sui inducti. Quodnam his remedium? in Matutina precatione DEO omnes tuas actiones oblatum ire; præterea singillatim quodvis opus, dum huic te accingis, offerre. Modica consuetudo tibi hanc praxim facilem efficiet.

IV. In tuis actionibus duo extrema, æqualiter noxia, devita tarditatem, & accelerationem. Omnia, quæ quis facit, oportet bene fieri, hinc gloria coram DEO, & hominibus operanti accrescit: quanquam applausus hominum quærere non conveniat. Ne te unquam sinas ocupationum copiâ obrui; & licèt cum fervore agendum

dum ſit, præcipitatio tamen declinanda eſt. Dum nimiis rebus ſimul intendis, ſpiritum tuum diſſipatum, & varias in partes abſtractum ſentis; aut iis, quæ agit, ità affixum, ut ne unum momentum tibi relinquat, quo tuum cor ad DEUM leves. Prætereà, ſi quis nimiis ſe negotiis implicat, nec omnibus præerit pro debito, nec cum optato eventu; id, quod mœrorem, perturbationem, geminos hoſtes quietis inducit.

V. Si labor, qui tuis humeris incumbit, omnem corporis, & nervorum contentionem depoſcit, ne loquere verba, faſtidium, iram, & tolerantiam modicam redolentia, quæ laſſatis ſolent eſſe familiaria; tum tibi moderare. Quæ amentia eſt labori, aut alicui animali indignari, ſi res è voto non ceſſerint? An bis creaturis mens ineſt, ut tuam rabiem, & maledicam linguam aſſequantur?

Vide,

Vide, quî tuas intentiones dirigere debeas. Conſidera DEUM hìc præſentem, & qui te contuetur, dic ei : *Mi DEUS, poſtquàm tua providentia me huic ſtatui addixit, in quo neceſſe habeo multo ſudore diffluere, labore manuum vitam degere, fiat tua ſanctiſſima voluntas ; offero tibi hos conatus, hæc fatigia, ut tibi placeam, idque exequar, quod â me deſideras, nimirum, ut hunc laborem bene perficiam, ut hac ratione indigentiam meam, meæq; familiæ ſublevem. Offero tibi quoque in ſatisfactionem meorum peccatorum.*

Si litterarii labores te occupent, devita ſocordiam, & libidinem cuncta ſciendi. Noli ex ambitione ſtudiis vacare, neque libros noxios evolvere ; præſtat minùs ſcire, quàm multum condiſcere in tuam perniciem, ſtudens, legens, audiens, prælegens dicito : *Mi DEUS, illumina ſpiritum meum, ut ſcientiis probè*

bè imbuar, illâ præsertim, quæ docet meam salutem operari.

Si quos tuæ curæ commissos habes, cave negligere; complures utriusque sexus reperire est, qui â meridie omne tempus lusu, visitationibus, &c. terent, quin de suis prolibus,& domesticis soliciti sint; Isti DEO ita exigente rationem reddere debebunt de prolibus suis, quæ fors suos parentes eadem secum damnatione involvent ob perversam educationem.

REFECTIO.

I.

NOn expedit, ANIMA, ut tuomet impetu in cibos effundaris, mens,& ratio hanc actionem certis regulis definiant. Statum tempus refectioni tribue, neque edendo, aut bibendo temperantiam prætergrediaris, sic fiet, ut in DEUM non peccES, & valetudinem

nem ſerves, quæ inter ſpumantia pocula ſæpe deperditur.

II. Nunquam prandium, aut Cœnam ſume, nisì priùs DEO offeras, & præmittas *Benedicite*. Cùm ſanæ menti adverſetur animantium more vivere, ut quis edat, ſe paſcere ſolùm è genio, & ut deſiderio ſatisfiat; actioni huic cæterà viliori dignitatem addere debet caſtigata intentio hoc tenore: *Mi DEUS, reficiam me, ut tibi placeam, & novas vires accipiam tibi meliùs ſerviendi.*

III. Neque ſufficit ſpiritum ad DEUM levare ſub initium hujus operis, oportet ſub finem gratias agere; & licèt ii, quibuscum menſæ aſſederas, hoc prætermittant, tu cave negligas, ſed vide ſis, ut cum devotione hoc penſum perſolvas, non ex ſola aſſuefactione.

IV. Vigilem ſuper te oculum peculiariter gere, ne quid modeſtiæ adverſum, ne liberiores ſermones, ne quas levitates tibi indulgeas,

geas, quod inter lautas epulas proniſſimum eſt. Nunquam gulæ vitio quidquam dederis, ſive conſodales ſub comminatione perdendæ intelligentiæ adigere velint, ſive exemplo præeant; potiùs omni tuæ refectioni ſocia aliquam abſtinentiam, ut pro tuis peccatis ſatisfacias, & corpus ſpiritui magìs ſubjicias.

V. Ne imitare illud genus hominum, quibus vix aliud in ore verbum, nisì de ciborum delectu, de varietate vinorum, de opiparis menſis; quibus una cogitatio eſt palato uſque ad delicias favere; quibus una ſemper querimonia, res pro voto conditas non eſſe, quorum propè ſola felicitas edendo, & bibendo guſtum exſaturare.

(†)

CON-

CONVERSATIO, ET RECREATIO.

I.

NE unquam has actiones ordire, nisì DEO simul offeras dicens: *Fiat amore tui, mi DEUS, & ut spiritui meo modicam remissionem concedam, quò debinc majori applicatione tibi serviat.* Per intervalla spiritum tuum ad DEUM erige, considera tecum illum, qui audiat, & pete ab eo gratiam, ut in tuis verbis, animi remissione sis circumspecta, nec quidquam admittas, quod ei displiceat.

II. Cautè observa quibus personis jungaris; unicum pravum consortium sat erit, ut in perditionem devolvaris; an non consultiùs est se hominibus subducere, quàm iisdem sociari, atque à perversionis discrimine vix unguem abesse? Optimum remedium, ne

quis

quis contagio vitioſorum inquinetur, putem eſſe, illos devitare, quemadmodum peſte correptos declinare ſolemus. Vis nôſſe, qualis ille ſit? noſcitur ex ſocio; nam iis, quos communiter inviſit, aut ſimillimus eſt, aut modico pòſt tempore talis evadet.

III. Si fortuitò te contingat diſcolis, & detractoribus ſociari, ne adeò debilis, aut placendi ſtudioſa eſto, ut imiteris, & depravatos ſermones cum eis proſequaris; interrumpe, ſi potes, aut pro dexteritate tua aliud dictionis genus aſſume; quod ſi nequeas, triſtiore vultu, longo ſilentio, aut frigido reſpondendi modo conteſtare, quàm tibi hæc ſermocinatio diſpliceat. Nec æmulare certos Spiritus, qui ad inſtar ſimiarum faciunt, quod fieri vident, quique ſuis actionibus regulam non præfigunt id, quod facere debent, ſed quod alii faciuut. Nunquam nec ſub obtentu

tentu amicitiæ, bonæ ſocietatis, aut exhilarationis oportet ſui debiti obliviſci.

Ut riſum quis moveat, & acumen ingenii oſtentet, nîl penſi habebit mordax dicterium, acerbos ſales proferre. Ità nonnulli ſua gaudia venantur in alienis pratis, cùm linguam impunè ſinunt abſentium famam petere. Tu peculiari niſu contende maledicentiam devitare, quam hodie, ceu commune malum ubique, & ab hoc pauciſſimos reperias immunes.

IV. Solicitè cave duo extrema, quæ plurimas converſationes reas efficiunt; *Melancholiam*, ſive hæc oriunda ſit ex mæſto tuo genio, ſeu ex faſtidio recèns enato proveniat, nam qui ità comparatus eſt, nullo negotio in aſperiora verba prorumpit, nîl ferre poteſt, nîl probare, quod alii agunt, aut proloquuntur. *Nimiam lætitiam*, & genium plùs æquo excitatum, quo quis-

quisque agitur, moderatione excussa, jam intra viri gravitatem, jam effusâ licentiâ exultat, totus est in multiloquio, aut facetiis, & in ejusmodi erratis frequentissimus.

V. Ne unquam excandesce, ANIMA, qui demum cunque prætextus id suadeat. Propone tuarum rationum momenta cum impressione, non tamen absque dulcedine; si rati non habeantur, ne turberis velim, cùm etiam hoc pacto níl profectura sis; & licèt posses tuam opinionem urgere ampliùs, non expediret, ob periculum lædendæ charitatis, & pacis, quæ rebus omnibus anteferenda est. Si advertas alios concitato animo esse, téque amarioribus jocis, aut convitiis impetere, nihil repone, nec oppone nisì modestiam, & silentium. Neque metue tuam taciturnitatem malè acceptum iri; satìs constat, tibi verba non defuisse, quibus tuam sententiam

tiam

tiam firmares, neque defore, ut honori tuo consulas,& par pari refundas ; & quia altera pars non quærit ratione convincere, sed altercari, tibi in gloriam cedit, si iratum finas injurias quasque evomere, quin consimili tenore eidem obviès,utpote,qui disceptandi modus non facilè finiretur,neque serviret, nisi in offendiculum proximorum.

VI. Neque sufficit verbis, quæ alienæ famæ, virili modestiæ, aut alteri virtuti officiunt, abstinere; oportet tempus fallere sermonibus ad pietatem,& ad DEUM spectantibus. Quis non miretur, nos in rebus mundi adeò eloquentes, & ad dicendum nunquam non paratos esse ; ex adverso prope elingues, quando de DEO differendum essет; bonæ colloquutiones plurimùm prosunt, & potenter animant ad pietatem,audientes æquè, ac proferentes.

VII. Inter tot, támque varia il-

licia ſenſuum memento eoſdem ſuis limitibus conſtringere, præprimìs oculos modeſtiâ, ne in pernicioſas imagines evagentur. Multi non rarò queruntur ſuum ſpiritum eſſe admodùm diſſipatum, ſéque copioſis tentationibus quati; ſed mirandum non eſt, poſtquàm ſibimet hos inſultus conciliant per liberiorem cum promiſcuo ſexu converſationem, per incautos aſpectus, per verba parùm honeſta, quæ dicunt, vel dicta percipiunt, per relaxationes plenas periculi, per tentamenta, quæ meliori jure diſſolutiones appellantur.

VIII. Luſus in ruinam plures egit, & hodiedum agit, maximè, ſi non diſtractionis, ſed lucri gratiâ fiat. Exceſſus communiter conſequitur, fraudes, mendacia, perjuria, & perſæpe junctim deperditur conſcientia, tempus, & argentum. Tuis converſationibus certam horam definias, neque tempus,

pus, quod tam pretioſum, atque obſequio DEI, tuísve negotiis tribuendum foret, vana relaxatione peſſumdes; neque ſeriam, longámque occupationem facito id, quod ſolùm aliqua animi remiſſio eſſe debet.

VISITATIO SS. SACRAMENTI.

DAbis quoque, ANIMA, aliquid petitioni meæ, quam ſubjicio. Haud ſatìs eſt te primo diluculo precationi; dein Miſſæ adfuiſſe; peto abs te, ut bis, térve per diem SS. Sacramentum inviſas, aut ſi Eccleſiam adire nequis, ad tuum Oratorium te in genua demittas, ac perbrevi Oratione diſſipatum nonnihil ſpiritum colligas; fiet id maximè poſt converſationem, aut ſimilem actionem, quæ ampliùs diſtrahere ſolet. Facies tum modicam ſuper te reflexio-

nem, & poſtulabis à DEO, ut in reliquum diem pergat ſuis gratiis tibi præſtò eſſe. Si ad eccleſiam te conferre poſſis, & velis, hæc obſervabis.

I. Debes JESUM domi ſuæ inviſere, velut aulæ Miniſter, qui comparet, ut ſuo Principi officia, & reverentiam exhibeat, ejúsque lateri aſſiſtat. Elicies tum pro arbitratu tuo adorationem, oblationem, amorem, gratiarum actionem, aut conſimiles actus, quos pro refectione ſacra notatos invenies, modò hos, modò illos.

II. Poteris adire JESUM ùt Magdalena, quando ſua peccata amarùm deflens lacrimis ejus pedes lavit; aut quando in contemplatione divinarum ejus perfectionum ſibi erepta eſt. Vel ùt cœci, leproſi, & alii, qui veniebant rogaturi ſanitatem, vel ùt prodigus filius, â Patre petiturus veniam. Vel ùt Angeli, Reges, & Paſtores, qui ſe ſiſtebant adoraturi Dominum.

Vel

Vel ùt Apoſtoli, audituri prædicationem. Vel ſicut amicus, qui convenit amicum, ut ſolatium in mœſtis, conſilium in dubiis, ſubſidium in neceſſitatibus, præſidium contra hoſtes, remedium contra ſuas miſerias capiat.

III. Accede ad eum 1. *Magna fide.* Vivaciter tibi propone DEUM præſentem; familiariter ei loquere, quaſi tuis oculis obverſantem haberes. 2. *Magno deſiderio eum ſumendi.* Potes iterare pro tuo libitu communionem, quam vocant ſpiritualem, gratias agere pro poſtrema ſacramentali refectione, téque ad imminentem comparare. 3. *Magno amore.* Hic eſt omnium actuum facilè primus, cura in hoc frequentior eſſe. 4. *Magnâ fiduciâ.* Teme et ſecuram redde, quòd ſinè cumulatis gratiis nunquam ſis reditura; poſtula crebrò, & inſtanter ea, quibus eges.

IV. Licèt ſingulæ precationes

eximiam modeſtiam depoſcant, & DEUM cum reverentia interpellare oporteat, nihilo tamen minùs in Eccleſia, & coram JESU reapſe ſupra altare degente, ſingularis compoſitio neceſſaria eſt. Oculos modeſtè demiſſos, non in omnem angulum vagos tenebis, ſecus actum agis, ſi devotionem ſperes. Linguam frœno arctabis; ſanctitas loci, Chriſtus coràm adſtans, bonum exemplum in proximi ædificationem ſerviens te adſtringere debent, ut ne verbum inutile tibi patiaris excidere; nonnisì impios, & quidvis audentes dixerim, qui non dubitant in eccleſiis tantâ licentiâ ridere, & loqui, ceu in plateis, & compitis forent.

Dum hora auditur, & interdum per diem.

DIc unum *Ave Maria*, & adde: *Mi DEUS amo te ex toto corde meo.* In DEI præſentia te conſtitue,

tue, animum tantisper reflecte ad præteritas actiones, pete veniam erratorum, & in ſecuturis emendationem adpromitte.

HORÆ, & ROSARIUM.

I.

NIhil ex uſitatis tuis precationibus debes prætermittere, iiſdem cum devotione intendere, ne illos imiteris, quibus ſolùm curæ eſt multum orare, quin ſatagant cum ſenſu pietatis id facere. Unum *Ave Maria* attentè dictum præſtat multis cum evagatione deproperatis. En varios Modos Horas, aliásve preces recitandi.

II. Si verborum ſignificationem intelligis, mentem ad ſenſum eorum adverte, quæ enuntias, ſic dicendo *Ave Maria gratiâ plena*, imaginare tibi præſentem B. Virginem, reverenter ſaluta, & gratulare illi, quòd gratiarum copiâ omnes An-

gelos, & Sanctos exſuperet. Dicens: *Laudate Dominum omnes, &c.* deprædica, DEUM, & dicens: *O altitudo divitiarum*, admirare eundem, & ſic de reliquis. Nota, non eſſe mutandam ſemper cogitationem, quoties novus verſus inchoatur, potes plures decurrere cum eodem animi affectu, quo exorſa es. Si verborum ſignificationem non intelligas, aut licèt etiam percipias, potes tuum ſpiritum alio bono cogitatu diſtinere, qualis foret de præſentia DEI, de Divinis perfectionibus, de aliquo myſterio patientis Domini, & prout devotio ſuggeſſerit.

III. Alter modus eſt, dum lingua preces vocales effert, internîs actibus fidei, ſpei, &c. ſubinde animum occupare, v. g. poſtquàm primam decadem roſarii, aut matutinum finîſti, ità fidem tuam erga Deum, & B. Virginem conteſtare: *Credo, ô Maria! quòd ſis Ma-*

ter

ter DEI, & Regina Angelorum. Admiror tuas excellentias, &c. Mi DEUS, credo te esse infinitè bonum, potentem &c. Gaudeo te infinitas perfectiones possidere, &c. Ad secundam decadem, vel Laudes testare spem in DEUM, & B. Virginem, te eorum protectioni submittendo, & subsidium ab eis orando. Ad sequentem decadem testare, *Amorem* erga DEUM, & B. Virginem; ad reliquas decades, aut Horas *gratiarum actionem* pro iis, quæ DEUS tibi concessit, & quæ B. Virgo tibi exoravit. *Resolutionem* melius serviendi DEO, & B. Virgini. *Desiderium*, eos in cœlo contuendi. *Petitionem*, propone eis tuas indigentias, & postula peculiares gratias.

IV. Tertius modus, te ore precantem, interiùs occupandi est, si ad quamvis decadem, aut Horam mediteris aliquod mysterium Rosarii. Qualia sunt *GAUDIOSA*, 1. Annunciatio Mariæ. 2. Visi-

tatio. 3. Nativitas Christi. 4. Purificatio. 5. Inventio JESU in templo. *DOLOROSA*, 1. Oratio in horto. 2. Flagellatio. 3. Coronatio. 4. Bajulatio crucis. 5. Crucifixio. *GLORIOSA*, 1. Resurrectio Christi. 2. Ascensio. 3. Missio S. Spiritûs. 4. Assumptio B. Virginis. 5. Coronatio ejusdem in cœlis.

V. Ad quodvis *Gloria Patri*, tuam attentionem, & recordationem Dei præsentis innova.

VI. Sunt nonnullæ precationes, quas tam commune, quàm noxium est ex solo usu decurrere, v. g. *Angelus*, *Lytaniæ*, *Benedictio Mensæ*, *&c.* Plus reflexionis adhibe, ut has cum devotione persolvas. Cùm Litanias concinis, te in cœlo statue ad pedem cujusvis sancti, quem invocas; cùm *Pater noster*, spem, cùm *Credo*, fidem elice &c. Cùm dicis *Angelus*, considera primum adventum Christi in terris, cùm intra ca-

stiss-

ſtiſſima Mariæ viſcera carnem, hominémque induit; gratias age DEO pro hoc beneficio, & cunctis aliis, quæ in B. Virginem contulit. Cùm ſecundò dicis *Angelus*, conſidera alterum Chriſti adventum in corde tuo, cùm ſacro epulo reficeris; gratias ei age, & pete iiſdem diſpoſitionibus comparata eſſe ad eum ſumendum, quibus B. Virgo prædita fuit ad eum concipiendum. Cum tertiò dicis *Angelus*, conſidera tertium adventum Chriſti, cùm ſub finem mundi, pro tribunali ſedebit omnes homines judicaturus. Subnecte dolorem de peccatis cum promiſſione te gratiæ DEI nunquam defuturam.

LECTIO SPIRITUALIS.

I.

EX tot horis, quas per diem tuis negotiis, aut oblectationibus tribuis, an non invenies ali-

quot momenta, quæ pientiori libro legendo, vel audiendo impendas? An in comparando ejusmodi libro minimis ſumptibus parces, tu, ANIMA, quæ inutilium rerum amore adeò prodigis? quemadmodùm depravati libri extremè officiunt, ità probati plurimùm proſunt, hi ſpiritum illuminant, docent praxim virtutum, & ſanctimoniæ, voluntatem animant ad DEI obſequium, hos velut divini verbi præcones, & moderatores à conſilio habere poteſt, quisquis voluerit.

II. Conſultiùs eſt parùm legere, ſed cum reflexione, quàm multum ſinè fructu. Neque lectioni vaca, ut tuam curioſitatem paſcas, neque ut ſapientior, ſed ſanctior evadas. Legens ſubinde tuum ſpiritum ad DEUM erige, gratiam pete ex quavis linea proficiendi; & iis verbis, ex quibus bonus in te ſenſus naſcitur, immorare;

rare; simul & de mediis cogita opere exequendi, quæ legeris.

III. Perversi libri multò facilius vitiis instituunt, quàm boni virtute. Inter principes causas, quæ hoc sæculum in corruptionem adduxerunt, memorandi veniunt copiosi libri, pessimorum hominum fœtus, qui sub obtentu condiscendæ latinitatis, aut alterius linguæ, sub obtentu honestæ distractionis leguntur, interim devotionem suffocant, grandia vitia commonefaciunt, in mille scelera abducunt, sícque avidis lectoribus viam ad interitum sternunt. Hos itaque detestare, ANIMA, tanquam pestes probæ vitæ, & morum.

Neque dicas te indè excerpturam bona, mala verò relicturam; lectio unius paginæ te minimè opinantem aliciet ad lectionem sequentis, téque imbuet notitiâ rerum, quàs cùm volueris è mente exturbare, nequibis, & principium

tuæ ruinæ experieris. Neque ultro obtendas, hiſce libris, qui amores, & vatum ſomnia redolent, nullum in eſſe malũ, præter illud, quod ſibi quisque animo depingit; triſti nimiùm experimento doceberis, plus veneni latuiſſe, quàm putares.

Id, quod præter dicta te â volvendis malæ farinæ libris avertere debet, ANIMA, illud eſt, quòd ii, qui ſibi in ejuſmodi ſcriptis ſemel complacuêre, tam fortiter iis affigantur, ut nec familiarium obteſtationes, neque hortatus prædicatorum, nec comminationes eorum, qui â confeſſione ſunt, quidquam poſſint ad perſuadendam talium librorum nauſeam; diceres aliquam incantationem eſſe reconditam; integerrimas horas illis evolvendis inſument, & vix paucula momenta vidébuntur; perlecto uno inquirent alium, & librarias officinas facient ſus deque verti, donec libros reperiant, qui ad majorem perniciem,

ad

ad acerbiores ſales accedunt. Hos itaque tibi repeto, ANIMA, cane pejus, & angue devita; & ſi quid minùs honeſtum, aut noxium legeris, ne turpi curioſitate te induci ſinas, ut lectionem proſequaris, verùm hanc ſinè mora abrumpe, & conſimiles libros procul â te faceſſere jube.

CONCIO.

I.

DEUS tibi loquitur, ANIMA, non modò per bonos ſcriptores, ſed etiam voce prædicatorum; quare ejus verba audire, & ſacram dictionem adire convenit non curioſitatis ergò, aut, ut ſcientiâ, verùm ut ſanctitate proficias; cùm quis prædicationi adeſt, ut dilectorum ſibi ſodalium gratiam ineat, aut oratoris facundiam periclitetur, mirum non eſt, ſi nullum penitus fructum referat.

II. Si

II. Si noſtra ætate prædicationibus ſua vis, & utilitas deeſt, quid aliud cauſetur, quàm quòd nonnulli ſemet potiùs, quàm animarum ſalutem prædicent, vanis verborum floribus malint aures mulcere, quàm corda ferire. Horum tamen numerus admodùm parvus, maximus verò illorum eſt, qui pro concione dicentes audire negligunt, atque hac ratione profectum omnem præpediunt; ſub obtentu, ſe abundè ſapere, neque volupe ſibi eſſe, ſi contra vitia declamantes perciplant; nimirum ſubverentur, ne ad vivum expingantur, quales ſint, ne prædicator ſit eloquentior, ac ipſi vellent, ne eorum delicias conturbet, ne eos â peccatis avocet, quibus aurium tenus inhærent.

III. Alii ſe concionibus ſubducunt, & obtendunt, dicentem è ſuggeſtu ſibi ad ſalivam non eſſe. Quòd ſi adfuerint, tantùm abeſt, ut audita in ſuam utilitatem con-

ver-

vertant, domi repetant, eósque, qui abfuêre, hauſtæ doctrinæ participes faciant, ut potiùs prædicatorem cavilentur, in ludibrium trahant, ſi quod ei verbum præter voluntatem excidit. ANIMA effare, an, exceptis ſacris Myſteriis, aliquid in orbe ſanctius, & majori cultu excipiendum putas, quàm verbum DEI? Et ſubinde miraberis, quòd tam parùm efficiat? An aquam, quæ ex puro fonte oriunda ligneum, aut plumbeum canalem permeat, bibere renues, quòd argentum non pertranſeat?

IV. Neque ſufficit ſemel prædicationi aures præbuiſſe, iterum, iterúmque id facito; quarta, aut quinta eò tuum ſpiritum inclinabit, quò prima flectere non potuit. Neque copiam negotiorum cauſare; novi nec crebras, nec prolixas adeò dictiones haberi. Una hora per diem, ſacro tempore Adventûs, aut verni jejunii tua nego-

tia nequaquam evertet. Fieri nequit, ut homo in audiendo verbo DEI assiduus non nanciscatur ingentes fructus.

Quantumvìs multâ sapientiâ polleas, si animo proficiendi perorantem auscultes, semper aliquid tibi profuturum intelliges, & si hoc abesset, Divini Verbi auditione exercitabis opus bonum tibi, proximo in exemplum, DEO præprimìs acceptum.

Post prædicationem cogita, quæ audisti, eadem interdum in considerationem, tandem etiam in praxim assume; secus enim, si ab ecclesia redux, audita illicò sinas è mente elabi, nullum tuo spiritui commodum emerget.

EXA-

EXAMEN CONSCIENTIÆ.

PErſonæ DEO per vota nuncupatæ in more poſitum habent, bis quot diebus conſcientiam diſcutere, mane ante refectionem, & ſub veſperum ante quietem. Credo, ANIMA, te non gravatè laturam, ſi â te id ipſum exigam ſemel, & ſemper ſomno præmitti; cùm noſter in ſpiritu progreſſus magnam partem indè pendeat. Si nullo non die in eadem errata devolvimur, ſi ſemper in eodem ſtatu cõmoramur, in neglectum diſcuſſionis rejiciendum eſt; non bene perpendimus originem vitioſarum propenſionum, nec horrorem concipimus delictorum, quæ ſingulis diebus iteramus, neque mentem reflectimus ad occaſiones, quæ nos ad DEI offenſiones abducunt, nec obfirmatè ſtatuimus mala devitare, & meliora am-

amplexari. Quare huic examini nunquam deesto, & conscientiam tuam tranquillitati & securitati redde, priusquàm lecto te committas, cùm hæc nox fors ultima tuæ vitæ futura sit.

I. Punctum.

Gratias age DEO pro beneficiis tibi collatis.

O Infinita bonitas DEI mei, gratias tibi ago ex toto corde pro omnibus bonis, quibus totâ vitâ meâ, maximè hac die, meam animam, & meum corpus cumulâsti. Te æternùm laudent, & benedicant Angeli, & Sancti. Ah! *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Benedic anima mea, Domino, &c.*

O Domine, dum considero, quòd me creaveris, & usque ad hoc momentum conservaveris; quòd me tuo pretioso sanguine redemeris, è tot peccatis, & malis, qui-

quibus poteram involvi, præſerva-veris, confundor, tanta benficia intuens, nec tuæ liberalitati quid-quam ſcio reponere. O quàm DE-US benignus, quàm amabilis eſt! *Quâm bonus Iſraël DEUS!*

O mi DEUS! quantum tibi ob-ſtringor, quòd tuum corpus, & ſan-guinem, tot Sacramenta donave-ris, ut me ſanctificares, tot inſpi-rationes, ut me illuminares, tot ſanctas affectiones, ut me permo-veres, tot media, ut me converte-res, tot creaturas, ut mihi ſervirent, tot alios favores, quos nec agno-ſco? In gratiarum actionem tibi offero omnes laudes, quas tibi per omnem æternitatem concinent Angeli, & Sancti. *Non fecit taliter omni nationi.*

II. PUNCTUM.

Pete gratiam agnoſcendi tua peccata.

O Sancte Spiritus, da mihi gra-tiam,

tiam, mea peccata, & ſtatum animæ meæ agnoſcendi, ne in cæcitatem Spiritûs, & duritiam cordis deducar. *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.*

Divino tuo lumine me colluſtra, & tuâ ſanctâ gratiâ me converte, ut ingenti dolore mea ſcelera deſleam, & firmiſſimè proponam non relabi. *Veni Sancte Spiritus, &c. Noverim te, noverim me.*

III. Punctum.

Cogita de peccatis, quæ commiſiſti.

Cogitationibus:

SI habuiſti cogitationes plenas ſuperbiæ, impuritatis, vindictæ, &c. diſcute, an in iis repellendis negligentiam admiſeris, an deliberatè inhæſeris, an conſenſum dederis.

Verbis:

An dixeris verba detractoria, iracunda, blaſphema, mendacia, otioſa, impura, injurioſa, &c.

Ope-

Operibus:

Discute, quid peccaveris in singulis actionibus.

In surrectione. An hæc fuerit prompta, an primam cogitationem DEO donaveris. An matutina oratio cum fervore facta sit, idem inquire circa *Missam*, *Horas*, *Rosarium*.

Vide 1. An nullam harum actionum intermiseris. 2. An attentioni studueris, abigendo evagationes, vitando immodestum situm corporis, & præcipitationem verborum; hìc in memoriam revoca praxes hoc libro contentas.

In negotiis, & laboribus. 1. An has actiones DEO obtuleris, & peregeris, ut ei placeas; an interdum tuum spiritum elevaveris. 2. An declinaveris tarditatem, & accelerationem curando, ut illæ cum tota sua perfectione, & pro debito tui statûs fierent.

In refectione, 1. An devotè dixe-

ris

ris *Benedicite*, & *Gratias* offerendo hanc actionem DEO. 2. An modestiæ, & temperantiæ memor fueris.

In conversatione, & recreatione. 1. An devitâris verba indignationem, ambitionem, maledicentiam, &c. spirantia, actiones leviusculas, & immodestas, periculosos aspectus, prava consortia, &c. 2. An pientiores sermones inserueris. 3. An hanc totam actionem solito longiùs protraxeris.

In variis circumstantiis per diem, an te in omnibus bene habueris, an nullum ne minimum quidem defectum commiseris.

Omissione:

An lectionem pii libelli, visitationem SS. Sacramenti, tua bona opera, & devotiones usu receptas non prætermiseris. An bonis inspirationibus debitè responderis; occasiones exercendæ demissionis, charitatis, afflictationis, tolerantiæ

tiæ &c. ultro oblatas in tuam utilitatem converteris.

EXAMEN PARTICULARE.

HOc consistit in reflexione particulari, & fit 1. mane, 2. sæpius per diem, 3. in generali discussione conscientiæ; ad extirpandum aliquod vitium, cui quis plusculum subjectus est, aut ad acquirendam aliquam virtutem, quâ quis magìs eget.

Cùm per diem in simile vitium prolapsa fueris, confestim pete veniam, & pulsando pectus, aut oculos in cœlum levando, DEO adpromitte omnem pro viribus accurationem. Hoc examen continuos dies decem, & quinque, aut solidum mensem super eadem materia institues, dein transibis ad aliam, juxta mensuram tui profectûs.

IV. PUNCTUM.

Pete â DEO veniam.

AH! mi DEUS, ergo tam malè tuis beneficiis respondi, tibi peccata rependi, postquàm me tot gratiis replevisti? suprema pulchritudo, bonitas infinita, Dominus meus, & DEUS meus, totus bonus, & totus amabilis, execror omnia peccata mea, ac doleo ex toto corde meo, te âme offensum, qui infinitè bonus es. O cœlestis Pater, en me, tuum perfidum filium, da veniam deprecanti. *Pater, peccavi in cœlum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.*

Quæ mea cœcitas, cùm te mi DEUS offendi, honoris locò injuriis affeci, &, quod tibi summè displicebat, peccatum coñisi; quid cogitavi perdens tuam amicitiam, ut meæ passioni satisfaciam, & modicam voluptatem capiam? Doleo, quantum possum, & utinam lacri-

lacrimis, & ſingultibus teſtari poſſem dolorem, quo has, & omnes totius vitæ meæ transgreſſiones ſuper omnia deteſtor. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrimarum?*

O mi amabilis JESU, quem cruci affixum, ſanguine,& plagis coopertum intueor! Eheu! mea peccata te in hunc ſtatum, imò in mortem egerunt. Ego infelix te meis ſceleribus, velut totidem clavis confixi, ego tantorum tormentorum tibi cauſa fui. Ignoſce mihi, obſecro; amore tui intimè doleo te offenſum. *Ego ſum, qui peccavi.*

Infelix tempus, quo me ſeparavi â te, ô bonitas infinita! amo te ex toto corde meo, pœnitet me omnis meæ ingratitudinis. *Sero te amavi, bonitas infinita.*

V. PUNCTUM.

Propone DEUM non amplius offendere.

MI DEUS, protestor in conspectu cœli, & terræ, in præsentia B. Virginis, & omnium Sanctorum, quòd nolim unquam ad lapsum reverti; devitabo solicitè omnes occasiones peccandi. Potiùs mori, quàm te offendere. *Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.*

Promitto, quòd nunquam patiar me vinci tentationibus, nec abripi illecebris; ero tibi fidelis usque ad mortem, ô mi DEUS! malo deinceps omnia perdere, & omnia ferre, quàm amittere tuam gratiam. *Quis nos separabit â charitate Christi? tribulatio, an &c.* Malo mori, quàm fœdari: *Eamus & nos, & moriamur cum illo.*

Sponde in particulari evitare hanc imperfectionem, te vincere in illa circum-

cumſtantia, non ampliùs certas voces proferre, &c.

Verùm, Domine, cùm adeò ſim fragilis, & ſinè tua gratia nihil poſſim, peto à te vires, & animos hæc propoſita exactè ſervandi; adſis mihi ſpeciali ſubſidio, & *me â te nunquam ſeparari permittas.* D. Maria, Angeli, & Sancti impetrate mihi gratiam, ut in occaſionibus fideliter adhæream DEO meo. *Confirma me in hac hora, DEUS.*

Promitte te facturam aliquas pœnitentias, & bona opera in ſatisfactionem tuorum peccatorum; ad hanc intentionem offer DEO omnes afflictiones, quas tibi immiſerit.

PRECES VESPERTINÆ.

Poſtquàm ſecundùm allatam methodum conſcientiam diſcuſſiſti, ſequentes precationes ſubjunge.

MI DEUS, ſomnum meum offero,

fero, ut tuæ Majeſtati placeam, & robur conſequar tibi meliùs ſerviendi. Glorioſa Virgo, tuæ protectioni me committo; Angeli, & Sancti, orate pro me; Mi Angele Cuſtos, â cunctis periculis me hac nocte præſerva, & exora mihi gratiam ſanctè vivendi, & moriendi. Amen. Dic ſimul *Pater*, *Ave*, *Credo*, Litanias de B. Virgine pro bona morte; & pſalmum *De profundis*, aut *Pater*, *& Ave* pro animabus in purgatorio.

Cùm te veſtibus exuis, memento modeſtiæ, & ſpiritum tuum occupa recordatione meditationis die altera ſecuturæ, aut alio pio cogitatu. Accipe benedictam aquam, ſigna te cruce, dicens: JESUS, MARIA, JOSEPH. Mi DEUS, tibi commendo meum corpus, & animam meam. Cura inter pia ſuſpiria obdormire. Cùm nocte evigilas, ſigna te cruce, precare pro animabus in purgatorio, aut

bonam

bonam aliquam cogitationem, qualis esse poterit de morte, quam tenebræ noctis, lintea, queis involuta es, somnus, qui sensus opprimit, in mentem revocant.

PRAXIS CONFESSIONIS.

MUlti de Confessione, haud aliter sentiunt, quàm de re, cui plurimum fastidii, & difficultatis insit; multus quoque est dæmon, ut hanc persuasionem adaugeat, & â saluberrimo remedio avertat. Intereà, mihi crede, ANIMA, se sponte reum agere, & peccata expiare, nec tot molestias, nec tam difficile negotium facessit; solùm necesse est, ut tempus deligas, juxta mensuram dilatæ Confessionis, majus, minúsve, atque illud præparationi tri-

buas. Porro ut debitè comparata ſis, proderit eadem adhibere, quæ in diſcuſſione conſcientiæ adduxi. Ante omnia curandum eſt, ut de peccatis ſincerè doleas, & ſtatuas non redire ad vomitum.

Novi tamen, ANIMA, te normam aliquam, qua in conſcientiam tuam inquiras, & veluti ſpeculum cupere, in quo rationem videas tua errata integrè exponendi, conabor tuo deſiderio facere ſatìs, & nonnulla ſimul adferre, quæ ad dolorem abolendis peccatis apprimè neceſſarium te exſtimulent.

ORATIO

Præparationi ad Confeſſionem præmittenda.

PAter æterne, DEUS bonitatis, & miſericordiæ, qui me creâſti, & tot favoribus auxiſti, infinitas tibi ago gratias pro ſingulis beneficiis, quæ mihi exhibuiſti, & ro-

go

go te veniam omnium meorum peccatorum. Ego ſum ille filius prodigus, ego â te turpiter receſſi, ego ſum, cui toties peperciſti; ſupplico, ignoſce mihi etiam hac vice, & me in tuam amicitiam recipe. *Reſpice in me, & miſerere mei.*

JESU mi dulcis ſervator, & Divine paſtor, veni iterum, & quære hanc errantem oviculam: Ah! quàm protervè egi, quòd renuerim audire vocem tuam, quæ me vocabat, & tuis gratiis tam malè uſa fuerim. Dona mihi denuo ſanitatem, & vitam, & omnia mea delicta in pretioſo tuo ſanguine ablue. *Erravi ſicut ovis, quæ periit.*

Sancte Spiritus, etſi tuis gratiis & ſanctis inſpirationibus tam infidelis fuerim, tuam tamen miſerationem imploro, da mihi lumen, ut ſcelera mea agnoſcam, & propoſitis meis robur, ut ad priora non redeam. *Veni Sancte Spiritus, &c.*

Glorioſa Virgo, peccatorum Ad-

vocata; Angeli,& Sancti, electi & dilecti DEI impetrate mihi remissionem meorum criminum, & gratiam faciendi bonam Confessionem.

EXAMEN.

UT memoriam tuam adjuvarem, hanc discussionem trifariam divisi, prima pars complectitur debita *erga DEUM*, *erga te*, *erga proximum*. Secunda septem peccata capitalia, *Superbiam*, *Avaritiam*, *&c.* Tertia continet *præcepta DEI*, *& Ecclesiæ*. Quodvis horum punctorum in memoriam reduces, exactè â te quærendo, quid adversùs hæc cogitatione, verbo, opere, & per tuos sensus, visum, auditum, &c. deliqueris.

I. DEBITA

Erga Deum.

PRætermiſi mane, & veſperi orare, item meas Horas, & alias devotiones uſitatas. *Si ad Horas &c. graviter adſtricta es, oportet dicere, & addere, quoties omiſeris.*

In meis precationibus fui multùm negligens, neque diſtractiones promptè rejeci. *Si iis inhæſiſti voluntariè, id eſt, advertens te animô evagari, tamen his evagationibus immorata es, dicendum hoc eſt.* v. g.

Fui ſcienter diſtracta per dimidiam miſſam, die feſto; eodem tempore loquebar, & ridebam. Dixi ſemel ex Horis, ad quas teneor, veſperas inter deliberatas diſtractiones.

In eccleſia non obſervavi ſufficientem modeſtiam, hinc indè aſpiciendo; ibidem quædam inutilia verba protuli.

Non dixi meas preces cum ſitu

corporis satìs modesto : dixi eas-dem exigua cum devotione. *Si fuisti immodesta in templo, maximè sub Missa, & cum scandalo; si alloeuta, si intuita es juvenes, personas alterius sexûs, locò precationis ad DEUM, oportet id specificare, & dicere, si longiori tempore duravit.*

Ultimam meam Confessionem, & Communionem cum minori præparatione peregi, quàm aliàs consueverim. *Si fuit negligentia considerabilis*; v. g. *si vix aliquod tempus impendisti discutiendæ conscientiæ, dolori &c. antequam Confessionem adieris, dicendum est.*

Habui cogitationes contra fidem, vel contra spem, vel de desperatione &c. quas non statim repuli. *Si aliquid ampliùs intercessit, dicendum est.*

In meis afflictionibus non posui fiduciam in DEUM, & simul habui cogitationes contra providentiam DEI, quas non promptè excussi.

Si

Si habuiſſes magnam valde impatientiam, & devoluta eſſes ad credendum, vel dicendum, DEUS eſt mei oblitus, DEUS non eſt juſtus, *deberes te horum accuſare.*

Res ſanctas in jocum, & riſum adduxi. *Si res eſt conſiderabilis, & ſecutum indè ſcandalum, oportet addere.*

Non impedivi offenſas DEI, licèt potuiſſem; *ſi ad hoc adſtringeris ùt ſuperior, ùt Pater, Mater, Inſtructor, &c. ſi offenſa erat conſiderabilis, debes dicere, & quoties.*

Non conabar ſervare bona propoſita; occaſiones virtutum, quæ ſe offerebant, non verti in uſum & utilitatem meam; bonis inſpirationibus, & gratiis DEI non reſpondi.

DEBITA

Erga te.

HÆc debita continentur 1. in ordinariis actionibus diei, 2. in obligationibus tui ſtatûs, & tuæ condi-

tionis. Jam egi de precationibus, in debitis erga DEUM.

Peregi meas actiones multa cum præcipitatione, & negligentia, illas DEO non obtuli, neque de eo per diem cogitavi, ſine ulla recollectione iis intendebam.

Nimia aviditate me refeci, nimis ſtudui ſatisfacere guſtui, nec *benedicite*, nec *Gratias* dixi, neque hoc opus DEO obtuli. *De exceſſu, qui fit in cibo, & potu, agam in peccato gulæ.*

In meis converſationibus fui multùm libera, & parùm modeſta; dixi verba ſuperba, mendacia, otioſa, &c. Non adduxi in ſermonem res ſpirituales, & nihil, præter nugas.

Perdidi inaniter tempus; & diutiùs otio indulſi; nimis multas horas dedi viſitationibus, & luſui, quibus plùs æquo afficior. *De juramentis, fraudibus &c. vide inferiùs.*

Non fui exacta in adimplendo

meo

meo munere, & meis negotiis. *Quisque debet videre obligationes sui statûs: Ecclesiasticus de onere sui officii; Persona in matrimonio constituta, de sua familia; Religiosus de suis regulis; Justitiæ Præses de suis negotiis, &c.*

DEBITA
Erga Proximum.

OPortet inquirere in peccata, quæ contra eundem commisisti cogitatione, verbo, opere, aut omissione.

Habui de eo aliquas suspiciones, & temeraria judicia; sed non puto me iis inhæsisse, aut ea firmiter credidisse. *Si certò credidisti, aliquam personam notabilem lapsum feciſſe, quin habueris legitimam rationem credendi, debes te de hoc accusare.*

Malè de aliis loquebar, sed circa res leviores. *Si fuêre notabiles, oportet dicere.*

Malè loquebar de aliqua puella circiter tribus vicibus in consortio quatuor, aut quinque personarum, dicen-

dicendo, eam cum quodam juvene perperàm egisse. Hæc res fuit secreta, & personis valde paucis nota. *Si res fuit publica, dices:* erat res jam nota. *Sed adverte, ANIMA, quòd hac ætate sit abusus ferme intolerabilis. Imaginamur nobis rem esse publicam, quia eam à duabus, tribúsve personis audivimus. Nota pariter aliam illusionem; falsè nobis imaginamur, posse nos notabile alterius erratum detegere, modò eum, cui enarramus, ad secretum obligemus. Ajo, aut ab altero secretum non observatum iri, aut, si observetur, hoc non impedit, quo minùs ejusmodi dicto* DEUS *sit offensus.*

Dixi verba in contemptum, injuriam &c. proximi vergentia. *Si ejusmodi injuriæ, acerbi joci &c. fuerunt notabiles, oportet addere & quoties. Adverte, quòd etsi non protulisses verba ad magnam injuriam, aut vilipensionem tui proximi spectantia, si tamen talia sint, quæ naturales ejus de-*

defectus oggerunt, quaque audire ei valde molestum accidit; oportet te confiteri, quòd eidem ter dixeris aliqua verba, & objeceris nonnulla ei vehementer displicentia. De maledictionibus agetur in peccato Iræ.

Docui aliquod malum duas personas. *Si malum sit grande, debes dicere, & quoties, & quot personas.*

Dedi proximo meis verbis, & malis exemplis scandalum. *Si scandalum fuit grave dic & quoties.*

Non exercui charitatem, & nullam ferè dedi eleemosynam, licèt potuissem. *Si alter quidpiam passus est ob tuum neglectum &c. dicendum est.*

Neglexi instructionem mearum prolium, & meorum domesticorum; curatus suorum in parochia subditorum; Magister suorum discipulorum &c. *Si negligentia fuit notabilis, dices.*

Permisi egere meam familiam, & pecuniam in hospitiis, lusu, comessationibus &c. pessumdedi.

II.

SEPTEM PECCATA CAPITALIA.

Superbia.

HAbui cogitationes ſuperbas, méque plùs aliis æſtimavi; dixi multa verba in meam laudem, & ut mihi exiſtimationem conciliarem; contempſi alios. *Si hic contemptus fuit notabilis, dicendum erit.*

Cum aliis contendi, obſtinatè meam ſententiam eorum opinioni præferendo.

Feci nimias expenſas in luxum veſtium; plùs temporis impendi, ut me ornarem, deſideravi ſuper omnes alios eminere.

Avaritia.

NImia paſſione deſideravi habere multa bona, habitis verò tenaciùs adhæſi, plùs de mundi opibus, quàm de ſalute animæ cogitans.

Ter

Ter habui voluntatem furandi, in lusu decipiendi, injustitiam faciendi, &c. *Si circa rem notabilem*, dicas.

Decepi, rapui, damnum intuli, valore quindecim florenorum, prima vice sex, altera septem, tertia duorum. *Si fuit res ecclesiæ propria, debes hanc circumstantiam addere, cùm speciem mutet.*

Retinui salarium meis famulis, & mercedem operariis; restitutionem non feci, quando potuissem. *Si concernit summam notabilem*, id est, *qualis sufficit ad peccatum mortale, eam nominabis, simul etiam prolixitatem temporis, quo non reddidisti alienum, potens id facere; cogita tibi absolutionem negandam esse, si hanc restitutionem procrastines, cùm tibi media suppetant.*

Dedi mutuum ad usuram. *Dic summam, & ad quantum interesse.*

Inveni aureum, & servavi, nolens me informare, cujus esset, licèt sub dubio

dubio mihi occurrerit, ad quem possit pertinere.

Luxuria.

OPortet se reum agere de peccatis, quæ hac in materia commissa sunt.

Cogitatione, quam negligenter repulisti, aut deliberatâ morâ fovisti, aut dato consensu habuisti voluntatem exequendi opere. *Explica hæc desideria:*

Verbis, & cantionibus inhonestis, has cum voluntate dicendo, vel audiendo.

Operibus, oportet specificare actiones, item circumstantias personæ &c. obtutu curioso, aut inhonesto, perversa librorum lectione, vestitu parùm modesto &c.

Plures aliæ species libidinis huc referuntur, quales sunt, voluisse aliquem ad malum pellicere promissis, comminatione, donis, lascivis aspectibus, &c. Sibi complacuisse in conversatione cum personis

ſonis diverſi ſexûs, non ſinè periculo divinæ offenſæ; ſe expoſuiſſe occaſionibus peccandi, licèt quis lapſus non ſit. *Curabis te in ſingulis hiſce peccatis declarare, ùt debes.*

Si in proxima occaſione peccandi conſtituta ſis, illam neceſſariò devitare debes, ſecus ſemper in malo ſtatu verſaris, & abſolvi nequis.

Invidia.

INvidebam aliis bona temporalia. *Si exinde ſequutum eſt, ut te cooperante alius quoddam notabile bonum amiſerit, dicendum eſt.*

Habui averſionem ab aliqua perſona, & ejus actiones reprobavi.

Malè volui cuidam perſonæ. *Si ei optâſti grande malum, & exultâſti, poſtquàm illud accidit, debes hoc addere, & quoties.*

Erga certam perſonam fui minùs bene propenſa; ter intermiſi eam ſalutare, eíque loqui, utì aliàs conſueveram.

Ma-

Magnam inimicitiam geſſi cum duabus perſonis; habui voluntatem iis graviter nocendi quo ad honorem, & bona; quæſivi quater occaſionem exequendi; hæc inimicitia duravit circiter quatuor ſeptimanis. *Bene omnes circumſtantias enumera.*

Toto hoc tempore nullam illarum ſalutavi, id quod aliis malo exemplo fuerat.

Dedi contra aliquam perſonam falſum teſtimonium; eandem falsè accuſavi. *Si acceſſit quodpiam judicium, aut res, quam dixiſti, & damnum, quod ei in honore, ſive bonis intuliſti, fuêre notabilia, oportet dicere, & quoties.*

Nolui me reconciliare cum meo adverſario, neque oblatam ultro pacem acceptare. *Si hanc diſcordiam deponere nolis, abſolvi nequis.*

Cogitationibus vindictæ plena cum deliberatione immorabar. *Dic quoties.*

Re-

Retuli de perſona ad perſonam, ut diſſenſiones concitarem. *Si res fuit notabilis, dic & quoties.*

Gula.

COmedi, & bibi cum aliquo exceſſu, præter ordinarium, & nonnihil incommodi attuli meæ valetudini.

Hauſtui plùs æquo indulſi: *dic quoties, & quo uſque.* In hoc ſtatu juravi, percuſſi, maledixi, & novi, quoties largiùs bibo, me in ſimilia labi. *Si hoc peccatum habeat adjunctam conſuetudinem, idem intellige de aliis peccatis uſu jam â te inductis, adde:* huic vitio jam longo tempore ſum ſubjecta; *tum enim ſapiens confeſſarius tibi dicet, quid faciendum ſit, & abſolutionem differet.*

Soleo ſæpius hoſpitium accedere ſinè neceſſitate, id, quod facit me excedere. *Tu obligaris tales occaſiones devitare, neque ſimiles domos frequentare.*

Ira.

Ira.

FUi persæpe impatiens, & in verba iracunda prorupi.

Ex pura indignatione plura feci; minima quæque molestè tuli.

Quater uni personæ maledixi, dicendo, velle me, ut dæmon eam rapiat, ut morte moriatur. *Adverte, ANIMA, cùm dicis, quater maledixi, id accipi quasi diceres, maledixi in quatuor diversis occurrentiis, & non eodem tempore. Nam si maledixisti in unico furore, qui te semel occupavit, oportet dicere*: Una vice vehementer excandui, & tunc plures maledictiones protuli. *Idem dicendum est de jurejurando, de injuriis &c.*

Vigesies maledixi rebus, quæ mihi occurrebant, eas dæmoni devovendo.

Mihi ipsi maledixi ter, dicens: ut moriar, ut paradysum non intrem, ut dæmon me abducat, &c. *Si hæc dicta sint propter aliquam falsitatem, debes idipsum specificare.*

Ju-

Juravi per DEUM quinque vicibus ex mala consuetudine. *Si fecisti ob rem falsam, pariter specificare debes. Adverte, quòd, licèt hoc fieret solùm ob rem levioris momenti, semper sit grave peccatum, juramento falsum firmare.*

Semel juravi, me illud facturam, & non feci. *Adverte, si illud sit malum, non teneris facere, imò debes omittere, etsi centies juraveris.*

Juravi per ignem, per crucem, &c. *Dic quoties. Nec imitare personas pessimè institutas, quæ se putant satisfacere dicendo:* Mi Pater, ego juravi, *quin aliud addant.* Divinationi subjiciunt, an juraverint per DEUM, aut an sibi, aliísve imprecati sint, ut dæmon rapiat. Disce ergo te ritè explicare, plures reperies, qui solùm dicunt, se jurâsse, & intereà blasphemiam pronunciârunt.

Percussi aliquam personam: *Si vis illata fuit notabilis, dic, & quoties.*

Si occidiſti, dicendum eſt; ſi fuit perſona Eccleſiaſtica; ſi duellum &c.

Habui voluntatem graviter verberandi, &c. occidendi duas perſonas. *Dic quoties.*

Alios meâ pervicaciâ, & perverſo ingenio ad iram concitavi. *Si nullam dediſti occaſionem, licèt tibi aliquis indignetur, minimè neceſſum eſt te accuſare.*

Oro te, ANIMA, devita concitatiores motus, ceu vitium perniciosum quàm maximè. Neque obtendas, te, poſtquàm plura maledicta in alterum conjeciſti, pœnitudine duci, nec velle, ut tuæ imprecationes effectum ſortiantur; hoc non impedit, quò minùs in DEUM peccâris hac excandeſcentiâ animi, in proximum ſcandalo, quod præbuiſti tuis prolibus, quæ conſimiles furentium voces, utì â te percipiunt, ità facilè condiſcunt.

Ace-

Acedia.

PErdidi tempus inutiliter, &c. meas precationes negligenter, & somnolentè recitavi. Omisi facere ea, quæ muneris mei sunt; & sic de aliis omissionibus. *Si res sit notabilis, dicendum erit.*

III.
PRÆCEPTA DEI, ET ECCLESIÆ.

I. QUò ad primum præceptum vide debita erga DEUM. II. Quo ad 2.dum vide peccata Iræ. III. Quo ad 3.tium laboravi die festo citra necessitatem, spatio trium, aut quatuor horarum. *Si te authore alius quoque laborem assumpsit, addendum est.* Duos dies festos lusu, & comessatione transegi, neglecta prædicatione, & vesperis. IV. Quò ad 4.tum Non fui obediens meis parentibus. *Si in re magni momenti, adde:* pariter si debitam eis reve-

rentiam non exhibuisti; si molestioribus verbis eos petiisti; si iis non astitisti in eorum necessitatibus, morbis &c. V. Quo ad 5.tum vide peccata Iræ. VI. Quo ad 6.tum vide peccata Luxuriæ. VII. Quo ad 7.mum vide peccata Avaritiæ. VIII. Quo ad 8.vum vide debita erga proximum. IX. Quo ad 9.num vide sextum præceptum. X. Quo ad 10.mum vide septimum præceptum.

Quò ad præcepta Ecclesiæ; culpâ meâ neglexi duabus Dominicis audire sacrum, veni uno die festo ad Missam lecto jam Evangelio, dubito, an non factum sit ex mea negligentia. *Quò ad distractiones, & immodestiam vide debita erga DEUM. Quò ad celebrationem festorum vide tria prima præcepta Decalogi. Time, & treme, ANIMA, si ex perverso in te amore, quando nec gravior fatigatio, aut sinistra valetudo excusant, Ecclesiæ jejunia prætergrediaris. Sinè fru-*

Etu te ſacro in tribunali violatæ hujus legis incuſas, ſi voluntas deſit ejuſdem deinceps obſervandæ. An non ſatius eſt, nonnullis diebus aliquantulum famis perpeti, quàm damnatorum æternam famem, & ſitim tolerare? Dic, quo poteram, & debebam, non jejunavi. Violavi jejunium: *Si ſolùm ſumpſiſti pluſculum panis, & hauſtûs, explicandum eſt, nec abſolutè dicendum*, violavi jejunium. Bis in collatione exceſſi. *Si comediſti ferè tantùm, ac communiter ſoles, dicere non debes, te exceſſiſſe; ſed* duabus præceptis diebus non jejunavi. Neque ſatìs eſt dicere, die Veneris comedi carnes, ſed addendum eſt, quoties eadem die ſit factum.

Annotatio.

QUæres ex me, ANIMA, cur hoc loco peccatum, quod mortem affert, non dilucidè ſeparaverim ab eo, quod non eſt, nisì veniale. Conſultò prætermitten-

dum duxi, partim quòd horum notitia ferè omnibus in promptu sit; partim quòd tibi, cùm confiteris, facilè contingat addere, aut mutare aliquam circumstantiam, quæ in certis casibus poterat efficere peccatum mortale, quod tu censes veniale, & econtrà. Ut quis rem, quamquàm non committat, nôsse sufficiat, eâ DEUM offendi, neque bonus Christianus unquam admittet, ut dicat: *Hoc solùm inter leviora delicta reponitur, idcirco absque metu facere licet.*

II. DOLOR, ET PROPOSITUM.

POstquàm conscientiam omni accuratione discussisti, oportet tum illa, quæ memoriâ tenes, tum omnis vitæ peccata detestari cum seria obfirmatione, nunquam eadem repetendi. En diversa motiva dolendi, quibus pro faci-

facilitate, ac commodo tuo uti poteris; iis immorare, quæ te vehementiùs affecerint.

MOTIVA DOLORIS.

Primum Motivum.

Quia DEUS est infinitè bonus, & infinitè amabilis; cùm sit creator cœli, & terræ, meretur â toto mundo amorem, & obsequium, tu interea eum offendisti, & prætulisti modicam voluptatem huic infinitæ Majestati.

O Pulcherrime & omnium summè amabilis! quàm amarè defleo, quòd te offenderim, & tuis mandatis non obtemperaverim, ut meæ passioni satisfacerem! Ah! quæ mea fuit cœcitas? An in orbe habui aliquam creaturam, in pulchritudine, bonitate, & sapientia tibi æqualem, & tamen te abjeci ô amor meus? imò locò dilectionis te turpiter contempsi. Ignosce, mi DE-

US, doleo ex toto corde meo, juro nunquam ad malum redire. Procul hinc, vos ego execror, ô perverſæ occaſiones, ô infelices voluptates, quæ me ſeparâſtis â DEO meo. *Væ tempori illi, quo non amavi te. Serò te amavi pulchritudo tam antiqua, & tam nova.*

SECUNDUM MOTIVUM.

Quia peccatum DEO *diſplicet, utpote quod illum inhonorat, & omne malum infert, cujus capax eſt; nihil eſt ſub ſole* DEO *magìs contrarium, nîl ſæviùs odit, quàm peccatum.*

AH! quàm ſum inſana, quid feci? locò amoris, & honoris, quem tibi, ô mi DEUS, & amabilis Domine debebam, tibi, quantùm poteram, diſplicere conata ſum. Ergo hæc eſt amicitia, quam erga te geſſi? ergo hic eſt agendi modus cum amico, eidem extremè adverſari, & totum exequi, quod ejus ani-

animum ſummè exaſperat? Et tamen hoc eſt, quod ego feci, ô pulchritudo infinita, ô fons miſericordiæ, ô incomparabilis bonitas; & hoc ipſum eſt, quod intimè deflco, proteſtor, deinceps velle me rebus omnibus poſthabere. *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci.*

TERTIUM MOTIVUM.

Quia DEUS tibi innumera bona contulit; te creavit, conſervavit, & redemit; tibi dedit tot inſpirationes, ſanitatem, opes, & mille alias gratias, quas nec cognoſcis; & quod eſt præcipuum, tibi locum in cœlo paravit. Totum hoc te convincere debet, quantum DEUS in ſe ipſo amabilis ſit, & quanta tua ingratitudo, offendiſſe eum, qui tantum amorem tibi impendit.

QUid ergo? ego tot blandimentis, & tot gratiis præventa, eò infelicitatis deveni, ut eum, qui tanta bona mihi tribuit, indignè offen-

derem, & ſingula beneficia, ingratitudine omnium maxima exſolverem? Cùm tu ſuper me copioſas benedictiones effundis, tum ego tui, & mei ipſius oblita in eam temeritatem delapſa ſum, ut tot peccata infinitæ bonitati reponerem. O dolor! ô amaritudo! an ultra peccabo, mi DEUS? ah potiùs mori. An poteras tu majorem eâ benignitatem mihi impendere? & poteram ego tibi minorem humanitatem rependere? *Quid eſt, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci?*

QUARTUM MOTIVUM.

Quia DEUS tantâ tolerantiâ, & bonitate ad agendam pœnitentiam te expectavit, & vocavit, & tanto etiam amore recipit, poſtquàm eum tam graviter ſpreviſti, & is tibi toties pepercit.

AH! mi Pater; ſed eheu! An merebor ego poſt tot peccata dici filius tuus? Tu poteras me abs-

absque injuſtitia poſt primũ meum lapſum æternùm punire ; & intereà te adeò ſtudioſum exhibuiſti, ut me indè retraheres, ad te pelliceres, & erectam in priſtinum ſtatum gratiæ reſtitueres. O mea ANIMA! num vidiſti unquam tam ſingularem bonitatem ! quòd tu adeò ingrata toties eum offenderis, poſtquàm tot indicia ſuæ amicitiæ , toties tibi veniam indulſit. O mi DEUS ! non ſolùm mihi amodò ignoſcis, ſed me unà invitas ad tuum ſacrum convivium, ut mihi tuum corpus, & ſanguinem & cum hoc ampliſſimos favores largiaris. *Revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te. Pater peccavi in cœlum , & coram te, &c.*

QUINTUM MOTIVUM.

Quia tua peccata JESUM Chriſtum in mortem egerunt.

ERgo ad te ſpectat , mi adorande JESU, quòd te videam huic

cruci affixum, manibus, pedibúsque pertuſum, corpore toto coopertum ſanguine, & plagis ? Unde venit, quòd toleres tanta ſupplicia, & ſuper infame lignum expires ? Anne propter ſcelera tua voluiſti atteri ? Ah ! tu es innocentia ipſa, & DEUS infinitè Sanctus. Ah ! Ego, ego rea ſum, meis peccatis te in crucem egi, his veluti clavis, & lanceâ tibi manus, pedes, & latus, his ceu totidem ſpinis tuum caput transverberavi, his tuum ſacratiſſimum corpus adeò inhumaniter dilaceravi. En me, ô crucifixe JESU, ad tuos pedes proſtratam, ut eos tenerè amplectar, meis lacrimis irrigem, & coram te proteſter, quàm tota cordis intentione delicta mea deplorem ; malo millies mori, ne meis criminibus te rurſum crucifigam. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum ? Ego ſum, qui peccavi, ego iniquè egi.*

SEX-

SEXTUM MOTIVUM.

Quia peccata, quomodocunque parva sint, 1. semper offendunt DEUM, licèt non graviter. 2. Imminuunt, & refrigescere faciunt ejus amicitiam. 3. Plectuntur pluribus pœnis, & subtractione multarum gratiarum. 4. Deducunt ad peccatum mortale.

UTinam possem torrentem lacrymarum profundere, cum Magdalena, & eximiis pœnitentibus dolorem partiri! Ergo conveniet, heu quàm sum infidelis! examinare, an peccata â me commissa sint grandia, aut modica? An non sufficiat, quòd te offendant, tibíque displiceant, ô mi DEUS? An præstolari debeo, quòd mihi fulgura, & tonitrua impendeant, & quòd te offenderim peccatis mortalibus? oh! si te bene amâssem, an tot minores perfidias, tot parva peccata commisissem;

si tamen modicum dici possit, quod te lædit, tibíque displicet, etsi non adeò notabiliter? An me per tot defectus discrimini objiciam perdendi tuam amicitiam? Hoc factum est, sed ampliùs non fiet: detestor omnia mea errata, minima æquè, ac maxima, & juratò voveo, declinaturam me solicitè à lapsu. *Si oblitus fuero tui, oblivioni detur dextera mea.*

Septimum Motivum.

Quia DEUS peccata castigat pœnis Inferni, & Purgatorii, & per subtractionem Paradysi.

AGnosco, ô mi Creator, quàm oderis peccata, & quantùm his offendaris, cùm hæc tam severè punias in hac, & secutura vita. O duritiam cordis! si visa DEI bonitas te absterrere nequit, nónne metuere deberes flammas æternùm arsuras, & horrenda supplicia, quæ

DEUS

DEUS peccatoribus deſtinavit? ô Domine, ſi tibi placitum eſt, fac mecum miſericordiam! Dico ſempiternum vale his fallacibus deliciis, his ſocietatibus, & rebus omnibus, quæ mihi occaſionem lapſûs præbuerunt. *Miſerere mei DEUS, ſecundùm magnam miſericordiam tuam.*

PROPOSITUM.

NE tibi ſufficiat in generali ſtatuiſſe fugam omnis mali, promitte ſingillatim devitare hæc juramenta, has detractiones, &c. nec crede tuo dolori veritatem, & vim ineſſe, nisì animum obfirmes quàm fortiſſimè, non ampliùs ad peccata revertendi. Defectu hujus propoſiti, perſæpe Confeſſiones in ſacrilegia migrant.

PETITIO.

VErùm utì viribus meis níl valeo, ita â te ſuppliciter, ô Do-

Domine, expeto gratiam vehementer de peccatis meis dolendi, & contra eadem efficaciſſimè proponendi.

O B. Virgo MARIA, Angeli, & Sancti vos in teſtes voco mei doloris, & propoſiti, quod modò concipio, nolle me in peccata relabi. Exorate mihi à DEO præſidium, ut eidem fidelis perſiſtam in occaſionibus, conſtans, & immobilis in ejus amore uſque ad mortem.

Quid poſteà faciendum ſit.

POſtquàm te hac ratione comparâſti, accede ſacrum tribunal; meditatè recita *Confiteor* uſque ad *meâ culpâ*. Benedicite, Pater, quia peccavi nimis. *Menſis circiter effluxit ab ultima mea confeſſione, à quo tempore me accuſo de ſequentibus, &c.*

Pariter me accuſo de mendaciis, & detractionibus, quæ jam aliàs clavibus ſubjeci. De his, & omnibus aliis totius

vitæ

vitæ meæ peccatis me accuſo, & accuſatam cupio, utì DEUS me in conſpectu ſuo ream agnoſcit, doleo propono emendationem, peto â DEO veniam, & à te mi Pater abſolutionem, & pœnitentiam. Meâ culpâ, &c.

Attenta aure, & animo excipe dicta illius, qui tibi â confeſſione eſt, neque mentem tuam diſtrahe cogitando de peccatis, quorum oblivio te ſubire poterat. Super dubiis tuis eundem conſule &c. pœnitentiæ, quam injunctam habes, & ante omnia iis, ad quæ obſtricta es, ſatisfacito, qualia ſunt, redditio bonorum, aut famæ proximo præſtanda, devitandæ occaſiones &c.

Precatio poſt Confeſſionem.

QUas tibi gratias agam, Domine, pro remiſſione meorum peccatorum, & admiſſione ad priſtinam amicitiam. Eram diaboli mancipium, tu me liberâſti; eram

per

per peccatum mortua, tu me resuscitâsti ; eram â te hostiliter disjuncta, & jam tibi sum amicè conjuncta ; locò hujus, quòd me pro demeritis meis punires, blandè invitas ad tuum sacrum Convivium.

Nolo ampliùs pro tot favoribus esse ingrata ; promitto ab hoc momento initium novæ vitæ ; fugiam deinceps toto conatu omnes occasiones te offendendi, & protestor me tibi fideliùs, ac unquam factum sit, velle servire. Hanc â te gratiam exposco per merita tui pretiosi sanguinis, & per interventionem omnium Sanctorum. *Confirma hoc DEUS, quod operatus es in nobis.*

PRA-

PRAXIS COMMUNIONIS.

ECce, ANIMA, unam illarum actionum, quæ nobis in hac vita degentibus plurimùm conferunt. Si ſacræ refectioni fervor, & devotio pro viribus præmitterentur, & par gratiarum actio reſponderet, non eſſet hac ætate tot imperfectiones, tantámque remiſſionem cernere in nonnullis perſonis, quæ in ſumenda Euchariſtia aliis frequentiores ſunt, deberet in illis relucere plùs virtutis, ac perfectionis, cùm neutrum appareat. Igitur, ut ad hoc grande opus te ritè compares, cura, quæ ſequuntur.

I. Oportet præparationem pridie ordiri, ſolito majorem moderationem præteferendo, hunc in finem tuas actiones DEO offerendo.

do, interdum exercitando elevationem ſpiritûs, & conſimiles actus, quales paulò inferiùs ſuggeram.

II. Peculiares quasdam precationes, & afflictationes adhibe; volve librum ſpiritualem, dona aliquam eleemoſynam, ſemel inviſe SS. Sacramentum, præter alia bona opera, quibus te ad recipiendum JESUM Chriſtum diſpones. Ad menſuram diſpoſitionis noveris tibi gratias obventuras. *Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum.*

III. Ipſa die Communionis primum cogitatum reflecte ad felicem ſortem, quæ tibi poſt pauculas horas obtinget; dic illico: ô felix dies, in qua meum Servatorem ſuſcipiam. Veni, mi dulcis JESU, veni in cor meum, ut te ſemper poſſideam. *Surgam, & quæram, quem diligit anima mea.* Eamus di-

vino

vino ſponſo in occurſum. *Ecce Sponſus venit, exite obviam ei.*

IV. In Matutina precatione, gratias age DEO pro honore, quem tibi facturus eſt, offer omnes tuas actiones, Miſſæ Sacrificia, & bona opera, quæ per totum mundum fidelium multitudo præſtiterit, ut tuo cordi debitam diſpoſitionem, & dignam ſumptionem exores. Pete id ipſum per preces, & merita B. Virginis, Angelorum, & Sanctorum.

V. Ante Euchariſtiæ perceptionem nullo negotio te implices, ut mentis evagationes prævertas, ac plùs temporis præparationi tribuas; ad eccleſiam tende modeſto habitu, ac ibidem ardore, quo poteris, maximo preces ad DEUM, & cor tuum eò effunde. Prolixitatem temporis tantam impende, quantam tanti operis dignitas exigit; neque eos imitare, qui dimidiæ horæ ſpatio ad Confeſſionem

nem, & Communionem accincti, & utraque obita, Missâ simul auditâ mox â templo digrediuntur.

VI. Ut modum condiscas, ANIMA, te per singulares preces aptandi, non abs re erit quasdam considerationes, & actus subnectere, quæ tam sanctam functionem præcedere, ac sequi debent. Malo breviores, & in bonum ordinem redactas, quàm diffusas precationes adferre, in quibus utì difficile est sensum penetrare, ità distrahi facillimum. Praxis, quam suggero, sex actibus constat, totidem partibus Missæ respondens. Neque satìs tibi sit, hos lectione percurrere, oportet eosdem interiùs exercitare, & assiduè repetere, inhærendo iis, qui ad majorem devotionem faciunt, téque amplius in DEUM accendunt.

PRÆ-

PRÆPARATIO
PRO
COMMUNIONE.

I. ACTUS FIDEI.

Considera, quis sit, qui venit ad te; est JESUS *Christus, summè adorandus; ille ipse, qui fuit Crucifixus, & est glorioſus in Cœlis: est* DEUS *infinitè potens, infinitè pulcher, infinitè bonus, & liberalis, qui tibi dat ſuum corpus, ſuam Animam, & ſuam Divinitatem, qui ſub ſpeciebus panis, & vini abſconditus latet, ut faciliùs ſe tibi donet, tuam fidem exerceat, & tua merita adaugeat.*

ITà, mi Divine Servator, credo, eſſe tuum pretioſum corpus, & tuum pretioſum ſanguinem, quem modò ſumptura ſum; & licèt nullo exteriore ſenſu te percipiam, credo tamen firmiſſimè, quia tu dixiſti.

Ah! quæ mea felicitas, Ipſum JE-

JESUM Christum suscipiam, qui in sinu Mariæ quievit, & ab omnibus beatis adoratur in cœlo. Credo, Domine, sed obsecro te, perfice in me fidem hujus mysterii, & fac, ut apprehendam, sicut debeo, tuam Divinam præsentiam. *Adauge nobis fidem.*

Adoro te, profundissimâ, quâ possum, reverentiâ, & agnosco te meum supremum Dominum, Creatorem cœli, & terræ. *Credo Domine.*

II. Actus Humilitatis.

Considera, quis sit? qui eum recipiet; homo est miserrimus, qui recipiet DEUM *Omnipotentem; est peccator plenus vitiis, & imperfectionibus, qui recipiet ipsam sanctitatem; est vermis terræ, modicum limi, & pulveris, qui recipiet adorandum corpus JESU, ejus Animam, & Divinitatem.*

AH! quid sum ego, ô tremenda Majestas DEI mei, ut te susci-

ſuſcipiam ? An ignorare potes, quæ ſim ego, quis tu ſis ? Ah ! nimis agnoſco indignitatem meam ; ſed tui amoris exceſſus eſt, quòd mihi indulgeas ad te accedere.

Ità, novi optimè, quòd nihil ſim nisi vilis creatura, mille imperfectionum plena ; ingrata, quæ tuas gratias toties contempſi ; & peccatrix, quæ infernum commerui, nequaquam digna honore, quem mihi paras impendere. *Quid eſt homo, quòd memor es ejus, aut filius hominis, quoniam viſitas eum ?*

Etſi haberem omnem puritatem Angelorum, & omnem devotionem Sanctorum, non tamen digna eſſem te ſuſcipere : quî igitur audeo hanc ſacram menſam adire, probè conſcia, quòd ſim tot criminum rea, illa perfida anima, quæ te toties offendit ? O ! libens fateor me hoc honore indigniſſimam, neque tantam gratiam mereri. *Do-*

O *mine*

mine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum.

III. Actus Desiderii.

Conſidera bonitatem JESU Chriſti, quæ exſuperat omnem Angelorum, & hominum, quæque Sanctorum beatitudinem in cœlo efficit. Conſidera pariter ejus bonitatem, poſtquam ille venit, ut theſauros ſuarum gratiarum tecum dividat.

VErùm mi DEUS, cùm ex ſuperabundanti bonitate me ad tuam ſacram menſam evocas, me felicem reputo, mihi de tanto favore gratulor, eóque ocyus perfrui extremè deſidero. Veni, ô JESU, veni in cor meum, te ſolum ſuper omnia cupio; ah! quando mihi ſors obtinget te ſuſcipiendi? *Surgam, & quæram, quem diligit anima mea.*

O JESU, ſalus mea, refugium meum, meum gaudium, & unicum cen-

centrum meorum desideriorum, intra in cor meum, eíque domina-re ! ô qualis exultatio, cùm post aliquot momenta mecum habitura sim eum, quem ardenter suspiro! *Desidero te millies, mi JESU quando venies, me lætum quando facies, me de te quando saties?*

IV. Actus Contritionis.

Considera numerum, & gravitatem tuorum peccatorum; contemptum, quem tot gratiis irrogâsti; adhæsionem, quam habes erga creaturas, longè majorem, ac erga JESUM summè amabilem; exiguum fructum, quem ex tot communionibus hausisti; modicam præparationem, quam illis præmisisti, & præsertim ad istam affers.

AH quàm sum ingrata, & perfida, quòd tuos favores non agnoverim! éstne possibile, ut tantarum gratiarum oblita vivam, inter medias flammas Divini amoris

adeò frigida; tot peccatis, & sordibus fœdata, cùm tento suscipere DEUM puritatis? O! pœnitet me ex toto corde, detestor omnia mea peccata, & negligentias, quæ me indignam reddiderunt hac sumptione. *Et dignum ducis super hujscemodi aperire oculos tuos.*

Ergo homo, qui cibis immundorum animalium pastus est, jam compareat ad sumendum panem Angelorum? Unde ille filius prodigus, post tam grandia scelera, & tantos excessus, præsumet appropinquare Patri suo? Et Ille infelix, postquàm suum Servatorem suis criminibus crucifixit, quî audeat ei osculum pacis figere? Verum est, mi DEUS, ego sum illa misera, & miserabilis anima, indignissima tuo conspectu. *Pater peccavi in cœlum, & coram te.*

Postquàm sacramentali pœnitentia meas labes ablui, postquàm aliquo tempore curavi meas pravas

vas consuetudines deponere, tuæque justitiæ satisfacere, venio ad hoc Divinum epulum; sed volo, ut hoc fiat cum erubescentia frontis, cum dolore cordis, & sincera resolutione plùs devitandi peccata, quàm mortem, ex tuis gratiis meliùs proficiendi, ac deinceps majori cum præparatione ad te accedendi. *DEUS, propitius esto mihi peccatori.*

V. Actus Amoris.

Considera ingentem amorem, quo JESUS ad te venit; is se totum dat, quin aliquid reservet, suum corpus, suam Animam, & suam Divinitatem: is se omnibus dat, pauperibus, & divitibus, perfectis, & imperfectis: is se semper dat; quandocunque eum quis velit recipere; ille semper paratus est venire: is se dat cum tot miraculis suæ Omnipotentiæ, & Sapientiæ, ut nulli rei parcat, nobis suum amorem testandi ergò.

O Amor infinite, tuæ deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum, tua conſolatio, eos tuis favoribus cumulare. Quod itaque cor adeò obduratum te tenerè non amabit? Te amo, ö JESU, ex toto corde meo; poſtquàm tu totum te mihi donas, ego quoque me tibi totam dedico, & renuncio amori omnium creaturarum, ut nihil deſiderem, nihil diligam præter te. *Domine, quid mihi eſt in cœlo, & â te quid volui ſuper terram?* O ſi te poſſem tantum amare, quantum te amant Angeli, & Sancti! *Etiam Domine tu ſcis, quia amo te.*

Quid poteras ampliùs facere pro me? tolerâſti ſupplicium crucis, & mortem ipſam, ut me redimeres; & ante tranſitum tuum reliquiſti mihi tuum corpus, & ſanguinem in SS. Sacramento, ut memorem me redderes, quanta pro me feceris, & tuleris, & ut mihi pretioſum pignus tui amoris dares.

Ame-

Amemus itaque JESUM præ omnibus amabilem : ô Amor, qui ſemper uris, & nunquam conſumeris ! ô miſericordia, quæ ſemper ignoſcis, & nunquam faſtidis ! ô liberalitas, quæ ſemper donas, & nunquam deficis ! *Amor, qui ſemper ardes, & nunquam extingueris, accende me.*

Ah ! quid poſſum facere pro eo, qui tanta fecit pro me ? ô ſi occaſio ſe offerret amorem reddendi pro amore, beneficia pro beneficiis, vitam pro vita, & tibi exhibendi heroicas probationes meæ fidelitatis, & dilectionis ! ô JESU, inflamma iſtud cor igne tui Divini amoris ; penitus immuta, & fac, ut vitam, & mortem agat te amando.

Amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.

VI. Actus Oblationis.

Offer tuam Communionem ad intentiones ſequentes, offer te pariter DEO, & deſidera habere optimas quasque diſpoſitiones, quales ſancti ad eam recipiendam attulerunt.

Offero tibi, mi DEUS, hoc Sacrificium Miſſæ, & hanc Communionem, 1.° ut tibi debitum honorem, gloriam, & homagium præſtem.

2. In gratiarum actionem pro omnibus favoribus, quos mihi totâ vitâ meâ contuliſti, & pro iis, quos Angelis, & Sanctis impendiſti, præprimìs illi Sancto, cujus feſtam lucem Eccleſia hodie recolit.

3. Offero tibi in expiationem meorum peccatorum, & ut te largiente impetrem, in tua ſancta gratia vivere, & mori.

4. Supplico tibi etiam per merita tui pretioſi ſanguinis, ut gratias mihi concedas, quibus magìs indi-

ga ſum, hanc virtutem tolerantiæ, &c. victoriam hujus paſſionis: ſucceſſum hujus negotii, &c. Rogo te etiam pro meis cognatis, amicis, benefactoribus, &c. pro Principibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus; pro tota Eccleſia; pro converſione infidelium, peccatorum, & hæreticorum; pro ſubſidio animarum in purgatorio, & ante omnia pro - - - *Memento particularis intentionis, quam habere vis.* Da, quod jubes, & jube, quod vis. Reſpice in faciem Chriſti tui.

Offero tibi meum corpus, & animam, meas actiones, & totum, quod ſum, ut integrè ſim conſecrata gloriæ tuæ: ſed quia nihil ſum, nisì peccatrix, offero tibi omnes diſpoſitiones, quibus B Virgo, & Sancti ad te ſumendum acceſſêre; optarem ex toto corde meo, eaſdem habere. Præſento tibi ſimul omnes laudes, quas beati in cœlis tibi accinunt. Glorioſa Virgo,

Angeli, Sancti gratiam impetrate mihi sacram communionem bene obeundi, & me acceptam reddendi DEO, qui me visitare dignatur. *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

Cùm ab ipsa sumptione proximè abes, ingenti fervore omnes hos actus innova, & eorum veluti compendium familiare habeto.

GRATIARUM ACTIO POST COMMUNIONEM.

Retrahe te ad partem, ut gratias agas; & considera JESUM Christum tanquam Regem, qui comitantibus suis Angelis apud te suum ingressum celebravit, & in medio tui cordis residet, mox eum alloquere.

I. Actus Adorationis.

AH! ecce quî venit meus Divinus JESUS, suprema Majestas, magnus DEUS, Rex Universi, meus

meus Servator J. C. Ego te adoro, & me ad pedes tuos cum omni, quâ possum, submissione prosterno. Agnosco te DEUM meum, & supremum Dominum meum, & Supremum Dominum meum. O quàm bonus, quàm amabilis es, quod me dignatus sis invisere! ecce DEUS meus, ipse est, quem suscepi. *Dominus meus, & DEUS meus.*

Hos actus nè cursim perlegas, eosdem simul interiùs elicere satagito, iis diutiùs inhærendo, quos adverteris tuæ devotioni ampliùs deservire.

Tremenda Majestas, in cujus conspectu Angeli contremiscunt; quam adorant altissimi Seraphim, & supremum Dominum cœli, & terræ venerantur; annihilo me coram te, & offero tibi omnes adorationes, quas Angeli, & homines tibi exhibent in cœlo, & in terra. *Venite, adoremus, & procidamus ante DEUM.* O quàm grandis est! ô quàm dignus amari! *Magnus Dominus, & laudabilis nimis.*

II. ACTUS GRATIARUM ACTIONIS.

Considera JESUM Christum, qui suam liberalitatem, & thesauros suarum gratiarum super te effundit; qui erga te exercet officium amantissimi Patris, tibique ea largitur, quibus maximè eges.

SIs æternùm benedictus, & laudatus, mi Divine benefactor, pro tua bonitate, & pro honore, quo me in hac visitatione affeciſti. Si aliquem Angelum mihi misisses, quanta gratia! sed quòd tu ipse adveneris, & cum tanta benignitate, hoc est, pro quo nec scio, nec possum sufficientes gratias agere. *Benedictus Dominus DEUS Israël, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ.* Quas tibi vices reddam pro tanto beneficio? *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?*

Invito Angelos, & Sanctos, ut te lau-

laudent, & mei locò gratias agant. Quàm vellem tibi dicere laudes, & reddere gratiarum actiones, quæ tibi æternùm reddentur in cœlis. In grati animi testificationem volo te amare super omnia, & tibi fideliùs, quàm unquam servire. *Benedicite omnia opera Domini Domino.*

O B. Virgo, mi bone Angele, & mei sancti protectores, juvate me gratias JESU Christo accinere pro honore, quo me dignatus est. *Magnificat anima mea Dominum.*

III. Actus Amoris.

Considera JESUM Christum veluti amicum, qui invisit suum amicum, ut eum soletur, & hoc honoris testimonio securum reddat de sincera amicitia.

O Dilectissime cordis mei, in quem tenerrimæ affectiones meæ collimant, ô Divine JESU, Sponse animæ meæ, te amo ex toto corde meo, & me totam tibi consecro! ô qualis mihi consola-

tio, quale gaudium te videre tam pulchrum, tam ſanctum, tam potentem, & tam perfectum! Heu quòd efficere nequeam, ut totus mundus te amet, & honoret, quantum mereris! *Diligam te Domine fortitudo mea.*

Tu es Rex meus, jube ergo, ut omnes meæ paſſiones tibi ſint ſubditæ. Tu es Pater meus, volo itaque cum morigeris filiis tibi debitum amorem, & obedientiam præſtare. Tu es Magiſter meus; loquere, Domine, quia audit ſervus tuus. Tu es Medicus animarum, ſana meam. Tu es meus judex, fac mecum miſericordiam.

Tu es Paſtor bonus, reduc hanc errantem oviculam. Tu es panis vitæ, enutrias me. Tu es ignis urens, accende me tuo Divino amore. Tu es DEUS meus, & Omnia, fac, ut tota ſim tua, ſicut tu totus es meus. *DEUS meus, & Omnia.*

VARII ACTUS.

Proſterne te ad pedes JESU, *uti Magdalena; eoſdem arctè amplectere; audi in ſilentio, quid* JESUS *â te petat. Contemplare ejus raram pulchritudinem, & Divinas perfectiones; ſimul diverſos actus eliee, ſecundùm motionem S. Spiritus.*

AN bene ponderabam hujus magni DEI præſentiam? an ſatìs intelligo magnitudinem obtentæ gratiæ? DEUS apud hominem; Rex, qui in cœlo commoratur, in corde tam immundo quieſcat? Lux inter tenebras, ipſa ſanctitas in anima tot peccatis defœdata? ô amor! ô extaſis! Ah quid faciemus anima mea?

O JESU! nimiam mihi bonitatem impendis, tua liberalitas prodigè excedit: ſed probè intelligo, mi Domine! quòd velis palàm facere, non eſſe alium DEUM tam bonum, & potentem, præter te, qui

tanta

tanta miracula facere posſit,& tantam benignitatem exhibere creaturæ, quæ tam exigui eſt meriti, qualis ego! *Quàm bonus Iſraël Deus.*

IV. Actus Humilitatis.

Conſidera te veluti pauperem, qui aſſidet menſæ magni Regis.

UNde hic mihi favor, ut me ad hoc cœleſte convivium evoces, in quo te ipſum donas in alimentum animæ meæ? Nonne tu es illud pulchrum lilium? quî potes inter has ſpinas, & in corde tam impuro, quale meum eſt, perſiſtere? Nonne tu es panis Angelorum? quî hunc donas miſerrimo homini? Nonne tu es ille JESUS adeò purus, & ſanctus? quî voluiſti habitare in hoc corpore, & in hoc corde impuritatis pleno? Ah! non ignoro gravitatem meorum delictorum, intereà tu dignaris intima mea ſubire. *Unde hoc mihi, ut veniat Dominus meus ad me?*

Si

Si cœli ſatìs mundi non ſunt ad te recipiendum; ſi ſublimiſſimi Seraphim ſe obvelant, & tremunt in tua divina præſentia, ſi Magdalena ſe ad tuos pedes feliciſſimam æſtimabat, quid erit de me, quæ habui honorem te ſumendi?

O mi JESU, tuis pedibus advolvor, ut tibi miſerias meas confitear, & conteſter in conſpectu cœli, & terræ, me penitus indignam honore, quò me affeciſti. Veniam â te oro, & tibi reſarcio omnes irreverentias, quas ego commiſi, quæque ab hæreticis, & impiis contra te in hoc divino ſacramento committuntur. *Exi â me, quia homo peccator ſum, Domine.*

V. Actus Resolutionis.

Audi JESUM Chriſtum, qui in recognitionem gratiæ tibi præſtitæ â te exigit, ut pergas vincere hanc iram, illam paſſionem &c. cui magìs ſubjecta es: Cupit etiam, ut amorem erga

erga illum conteſteris, poſtquàm ille tibi tantum exhibuit. Offer ergo *tua obſequia, & promitte fidelem ſervitutem, exercitationem bonorum operum, quotidianos in perfectione progreſſus, mortis potiùs tolerantiam, quàm DEI offenſam.*

NOlo ingrata perſiſtere, poſtquàm tantos favores accepi. Quid â me deſideras. Domine ? jube, in omnibus tibi morem geram. Si neceſſe eſt hanc paſſionem edomare, id faciam amore tui ; ſi oportet me vincere in hac occaſione, illud bonum opus aggredi ; en me, Domine, paratam, ut omnem tuam voluntatem adimpleam. Volo deinceps tota eſſe tua, da, ut vivam, & moriar te amando. *Domine, quid me vis facere ?* Renova tua bona propoſita, & ſiquæ feciſti, vota. *Da quod jubes, & jube, quod vis.*

Pollicere in particulari ſubigere hanc affectionem N. non amplius illa

illa verba proferre, &c hanc affi-ctationem exercere N. &c.

VI. Actus Petitionis.

Considera te, ceu unum aliquem magno Regi gratiosum, qui se ad ejus pedes demittit gratiam petiturus.

CUm fiducia, & reverentia me ad tuos pedes prosterno, ô Rex gloriæ, DEUS infinitè potens, & optime, ut â te gratias efflagitem, quas mihi necessarias nôsti; illam tolerantiam, hunc amorem DEI, successum illius negotii &c. & ante omnia gratiam perseverantiæ. *Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satìs.*

O JESU, qui omnibus ad te recurrentibus sanitatem, & medelam tribuisti, libera me ab hac imperfectione N. ab illa prava consuetudine, &c. Domine, ecce, quem amas, infirmatur.

Si pauper fœmina sperabat salutem corporis, modò oram tua-

rum veſtium attingeret; ſi ſolus tuus contactus infirmos valetudini, mortuos vitæ reſtituit; quid non expectem ego, cui ſors obtigit te intra mea viſcera tenere? *Si tetigero tantùm fimbriam veſtimenti ejus, ſalva ero.*

Deprecor te etiam, mi DEUS, pro meis parentibus, cognatis, amicis, & benefactoribus, pro tota Eccleſia, pro peccatoribus, pro animabus in purgatorio, ſpecialiter pro - - - *Memento hìc intentionis, quàm tuæ Communioni peculiarem præfixiſti.* Domine non ceſſabo clamare ad te, donec exaudias me. *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi.*

O Adorande JESU, priusquàm te dimittam, ſanctifica meos oculos, ut magìs ſint modeſti, ſanctifica meam linguam, in qua quieviſti, ut magìs ſit frœnata, nec perverſas voces proferat. Sanctifica meam memoriam, ut ea nîl magis

reco-

recogitet, quàm te. Illustra meum intellectum divino lumine, & voluntatem meam tuo amore inflamma. Sanctifica meum corpus, meam animam, & meas cogitationes, mea verba, & meas actiones, ut non respirem, nisi pro te; & postquàm te in hac communione possedi Sacramenti speciebus velatum, te revelata facie videam in æterna gloria. Amen.

Post sacram refectionem te aliquo tempore detine, ut hos actus crebriùs elicere, & alias precationes tuæ devotioni conformes dicere queas. Oportet in suum commodum uti tempore tam pretioso, neque eos consectari, qui gratiis agendis perparùm tribuunt. Recordare indulgentiarum, siquas lucrari potes; & cura Communionis diem inter plures pietatis exercitationes â relaxationibus multùm remota exigere.

PRA-

PRAXIS ORATIONIS MENTALIS.

Cùm precatio, quæ mente fieri assolet, non solùm iis, qui intra religiosa claustra se abdiderunt, sed aliis etiam compluribus, qui sæculi curis addicti, virtutis tamen studium profitentur, familiaris sit, & usitata, mecum constitui ejusdem modum te, ANIMA, edocere, ut hoc uno in libro omnium Christianarum actionum praxim contentam haberes.

Sub Auroram, priusquàm te negotiis tradas, huic precationi horam integram, aut dimidiam, quemadmodum tibi pro ratione tui statûs otium fuerit, impende: Materia, quam ex aliquo libro meditationum desumere potes, ferè ad

se-

ſequentia capita reducitur. 1. Ad aliquam Chriſtianam veritatem, aut regulam, quæ ad conſecutionem virtutis, aut devitationem vitii dirigat. 2. Ad quampiam actionem, aut myſterium. Tibi licebit iis conſiderationibus, & affectibus uti, quos â viris ſpiritu plenis ubertim collectos reperies; aut illa deliges, quæ ſpiritui tuo magìs profutura videbuntur. Hic ordo communiter ſervatur: *Oratio præparatoria*, *Præludia*. 1. Conſiderationes, Affectiones, propoſita. *Colloquium*, *his finitis reflexio.*

ORATIO PRÆPARATORIA.

Poſtquàm aquâ benedictâ, & cruce frontem, pectúsque ſignâſti, te quàm potes vivaciſſimè, in DEI præſentiam conſtitues, eámque tibi toto precationis tempore impreſſam retinebis.

I. Actus

I.

Actus Fidei. Sanctissima Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus S., credo firmiter te hìc, & ubique per essentiam, præsentiam, & potentiam adesse. In genua procido coram tua adoranda Majestate, ut te DEUM, & supremum Dominum meum confitear, tibíque homagium præstem. *Venite adoremus, & procidamus ante DEUM.*

II. *Actus humilitatis.* Quid sum ego, ut tibi loquar, ô magne DEUS, & tecum conversèr? sum misera creatura, & peccatrix indigna comparere ante faciem tuam. *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis, & cinis.*

III. *Actus oblationis.* Offero tibi hanc orationem, in tui amorem, & gloriam in unione precum JESU Christi, & omnium Sanctorum. Vellem nunc reverentiam, & devotionem exhibere, qualem illi habuerunt, & tibi omnem laudem dicare,

care, qualem illi tibi dederunt in terris, & dant in cœlo. *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.*

IV. *Actus petitionis.* Confiteor, Domine, meam imbecillitatem, languores meæ voluntatis, & amaritudinem ſpiritûs mei. Itaque me illumina, & divinis tuis ardoribus accende. B. Virgo, Angeli, & Sancti, impetrate mihi gratiam bene meditandi *Domine, doce nos orare. Veni S. Spiritus.*

PRÆLUDIA.

PRimum præludium conſiſtit in eo, ut meditationis materiam tuæ imaginationi proponas veluti in aliqua pictura, aut per repræſentationem loci, perſonarum &c. v. g. ſi Chriſti mortem perpendere velis, *repræſenta tibi montem, in quo crux elevatur &c.* Si veritatem Chriſtianam, *repræſenta tibi JESUM, quando ad ſuos diſcipulos ſermonem habebat, &c.*

Secundum præludium consistit in eo, ut petas â DEO gratiam desideratum fructum ex hac Oratione capiendi. Sic in meditatione de Cruce, *pete amorem JESU, & amorem Crucis.*

I. Punctum.

CONSIDERATIONES.

OCcupabis tuum spiritum pensitatione eorum, quæ præparâsti, cura has veritates probè intelligere, te pro viribus convincere, & earum sequelam tibi plenè persuadere. Accipe exempla singillatim.

Considerationes circa aliquam Veritatem.

I.

COnsidera sensum hujus veritatis: *Tendenti ad cœlum portanda est Crux.* Quàm verum sit, in quocunque statu, omni tempore &c. oportet pati &c. dilcute in par-

particulari quamvis vocem hujus ſententiæ.

II. *Ejus veritatem.* Chriſtus id ipſum aſſeruit; an non ſufficiat ad me convincendam? elice actum fidei: *Ità, ô mi DEUS, credo, quia tu dixiſti &c.* Si ſanctorum Patrum accedat authoritas, eorum hac ſuper re effata ſpiritu recole, ut tibi potentiùs perſuadeas.

III. *Ejus neceſſitatem.* Quis tot inter afflictiones, quæ occurrunt, tot inter propenſiones, quæ ſubigendæ ſunt, â ferenda cruce ſe eximat?

IV. *Ejus utilitatem.* 1. Reſpectu DEI, quæ illi gloria indè emergat. 2. Reſpectu tui; ô mea anima, quantos theſauros potes comparare; quot occaſiones tolerandi ſe offerunt? 3. Reſpectu proximi.

V. *Damna ex adverſo.* 1. Reſpectu DEI, quem inhonoras renuendo ejus imitationem, cui gloriam eripis &c. 2. Reſpectu

tui. O *mea anima, debebis pati, etiam nolens, & tua impatientia unicè proderit ad augendos tibi dolores in hac, & altera vita.* 3. Reſpectu proximi. *O! quot ei moleſtias faceſſimus, quot mala afferimus crucem ægrè ferendo.*

VI. *Exempla eorum, qui fortiter præceſſerunt.* JESU Chriſti, & Sanctorum. *Conſideremus, ô mea anima, homines teneræ ætatis, & indolis, qui jejunia, auſteritates, ferrum, flammas, & mortem tolerant, & tu ferre nîl poteris, nec voles.*

VII. *Motiva*, & rationes, quæ ad hanc exercitationem impellunt.

VIII. *Difficultates*, quas devincere, & impedimenta, quas de medio tollere oportet.

XI. *Media*, quibus, & occaſiones, in quibus ſpecimen quis dare poterit.

Con-

CONSIDERATIONES

Circa aliquam virtutem, aut vitium.

I. COnsidera *ejus naturam, ejus objectum, & ejus actus.*

II. *Ejus qualitates.* Excellentiam, vel fœditatem : facilitatem, aut difficultatem, &c. illius virtutis, vitiíve.

III. *Contrarium* huic vitio, id est, virtutem ei oppositam ; vel verò vitium illi virtuti adversum.

IV. *Commoda* hujus virtutis, vel damna vitii respectu DEI, tui, & proximi.

V. *Ejus præmia*, aut castigationes cùm in præsente vita, tum in futura.

VI. *Rationes*, quæ suadent hanc virtutem amplectendam, vitium fugiendum.

VII. *Authoritatem* ex sacris paginis, & sensu sanctorum Patrum desumptam, qua hæc virtus commendatur, non item vitium.

VIII. *Exempla* eorum, qui exercitârunt, aut devitârunt, nec non id, quod illis accidit; cùm ferè extra dubium ſit, idem tibi eventurum.

IX. *Neceſſitatem* in communi, & in particularibus actionibus exercitio hujus virtutis, & fugæ hujus vitii ſe tradendi.

X. *Media* hanc virtutem indipiſcendi, hoc vitium ſuperandi.

XI. *Difficultates*, & impedimenta hujus virtutis.

XII. *Damna*, quæ in hoc vitium prolabentes incurrunt, & quid ad conſimilem lapſum deducat.

Conſiderationes circa aliquam actionem.

I.

COnſidera perſonam, quæ agit, aut patitur, & perſonas, quæ tum adſtant. *JESUS, è filiis hominum pulcherrimus, per quem tot ægri valebant &c. ecce totus nudus in cru-*

ce,

ce, præsentibus lictoribus, Judæis, ejus Matre, &c.

II. *Locum, & tempus.* In monte, expositus conspectui totius mundi, ídque sub meridiem &c.

III. *Finem hujus actionis.* Ah! hic alius non erat, nisì ut nos redimeret.

IV. *Ejus magnitudinem, ejus circumstantias, & virtutes.* Cùm perpendo, quòd DEUS sit mortuus pro me, an quid grandius cogitari potest? sed quanta bonitate, quantâ tolerantiâ, &c.

V. *Commoda* 1. DEO. 2. Sibi. 3. Aliis indè enata; & felices effectus, qui consecuti sunt.

VI. *Imitationem.* Videamus, quî ejus vestigiis insistere poterimus.

Ad eandem normam considerabis alia mysteria JESU Christi, B. Virginis, & vitas Sanctorum.

Annotatio.

NEque omnes has considera-

tiones, nec omnes affectus infrà enumerandos neceſſe eſt adhibere, ſed cùm ad meditandum te camparas, illos delige, quos cuivis puncto tuæ Orationis magìs proprios obſervaveris.

REFLEXIONES.

Multiplici conſideratione ad finem deducta tranſitum facies ad affectus, quibus tamen nonnullas reflexiones præmittes.

MEntem reflectere debes ad te ipſam, tibíque ſingula, quæ perpendiſti, applicare. *Edic, anima mea! an unquam debitè ponderâſti prodigum amorem, quem tibi JESUS in cruce exhibuit? quantum tu eidem afficeris? &c. Edic, an conformiter hnic veritati egiſti? Confer modeſtiam B. Virginis cum tua; ejus demiſſionem cum tuo faſtu, &c.* Diſcute tuam vivendi rationem, & vide, an in tuis cogitationibus, verbis, operibus,

bus, an in quacunque opportunitate exercitâris hanc virtutem, declinâris ab hoc vitio &c. illam veritatem ſat ponderaveris, tibíque impreſſeris. Mox ſubjicies actus humiliationis, contritionis, propoſiti &c. ſecundùm tuam devotionem.

II. AFFECTUS.

POſtquàm tuus ſpiritus ſe occupavit ponderandis hiſce veritatibus, ſéque perſuaſum ſentit, voluntatem flecti oportet in affectus deſiderii, admirationis, amoris, aut odii. Plures paulò inferiùs enumerabo, tu verò illos deliges, quos tuæ meditationi magìs convenire noveris. Hìc ſolùm adduxiſſe ſufficiat, quorum uſus frequentior eſt.

Annotatio.

ACtus, & affectus, quorum hìc mentionem ingero, fieri

possunt in communi, & in particulari, atque hoc ceu medium te juvabit iisdem prolixiùs insistendi. In communi elicies, v. g. *amorem DEI.* O mi DEUS! amo te super omnia, quia tu es infinitè bonus, & perfectus &c. *In particulari.* Amo te mi DEUS, quia te mihi donas in SS. Eucharistia; quia me ab illo periculo præservâsti, &c. Amo te magìs, quàm meas opes, quàm meum honorem, quàm vitam meam, &c.

Actus spei *in generali.* Spero omnia, quæ meæ saluti necessaria sunt. *In particulari.* Spero, quòd mihi veniam dabis meorum peccatorum, quòd me in tentationibus roborabis, &c.

Actus demissionis *in generali.* O mi DEUS, agnosco me nihil esse, neque aliquid posse sinè te. *In particulari.* Agnosco, quod dudum illud peccatum admisissem, quòd nunquam huic virtuti manum ad-

mo-

moviſſem citra ſingulare ſubſidium tuæ gratiæ. Ita de aliis actibus, & affectibus.

Actus, & Affectus circa aliquam Veritatem.

Fidei ſuper hac veritate. *Gratiarum actionis* pro ejusdem agnitione. *Laudis* ex amore in DEUM, qui nos ità colluſtravit. *Admirationis*, quæ ſe extendat ad nos ipſos, & alios, 1. quòd tanti momenti regulam, adeò parùm cordi ſumpſerimus. 2. Quòd ad ejus executionem nullam manum admoverimus. *Compaſſionis* ob ſiniſtram eorum ſortem, qui nec cogitatu, nec opere circa hanc veritatem verſantur. *Doloris*, quòd etiam nos in utroque ſocordes. *Timoris*, *ſpei*, *humilitatis*, *confuſionis* eadem de cauſa. *Diffidentiæ*, ob defectum propriarum virium, & confeſſionem noſtræ imbecillitatis, cùm agnoſcimus nihil nos penetrare, nîl age-

re posse sinè gratia DEI. *Fiduciæ in DEUM*, qui suis auxiliis aderit, ut utrumque præstemus. *Gratiarum actionis* si neutrum prætermisimus, cum perpetua recordatione id factum esse ope cœlesti. *Propositi*, *Desiderii* hanc veritatem exercendi. *Oblationis* sui ipsius ad exequendam voluntatem DEI, & vincendas omnes difficultates, quæ obvenerint. *Petitionis* qua â DEO gratias, â B. Virgine, Angelis, & Sanctis intercessionem exoremus.

Affectus circa aliquam virtutem, aut vitium.

Amoris, Complacentiæ, Desiderii erga hanc virtutem. *Horroris* contra hoc vitium. *Actus virtutis, quam quis considerandam suscepit.* Si meditaris de humilitate, plures ejusmodi actus elice. Si de amore DEI, aut proximi, crebra esto in actibus amoris. Si de conformitate in Divinam voluntatem, si de fidu-

fiducia in DEUM, ſi de pœnitentia, dolore, obedientia &c. mediteris, multa eſto in actibus deſiderii, amoris, & conſimilibus ad has virtutes ſpectantibus; easdem inſtanter flagita. *Deteſtationis* contra vitia his virtutibus oppoſita. *Spei* ob commoda hujus virtutis, Timoris ob damna hujus vitii. *Compaſſionis, deprecationis* pro converſione peccatorum, & perſeverantia juſtorum. *Doloris* ob admiſſum illud vitium, & omiſſam hanc virtutem. *Diffidentiæ* de propriis viribus, & *humilitatis*. *Fiduciæ*, te cum gratia DEI ſuperaturam. *Gratiarum actionis* pro mediis, quæ DEUS tibi hunc in finem ſuppeditat. *Propoſiti*. *Oblationis*. Petitionis à DEO, & Sanctis, quos frequenter invocabis.

Affectus circa aliquam actionem.

Admirationis ob magnitudinem

hujus actionis. *Amoris* erga eum, qui tam pulchram actionem aggressus est, maximè, si id factum sit propter nos. *Gaudii*, *gratulationis* erga eundem, ob privilegia, &c. quæ hac exercitatione obtinuit. *Gratiarum actionis* erga DEUM pro favoribus, ausu, commodis, &c. quæ eidem largitus est. *Laudis*, qua invitentur Angeli, & Sancti, homines, & omnes creaturæ ad laudandum DEUM pro singulis gratiis, quæ in illum contulit. *Desiderii* ad imitationem contendentis. *Fiduciæ*, quòd possis imitari &c. DEO bene juvante. *Propositi* piis vestigiis insistendi. *Oblationis* sui ipsius, qua te DEO utpote authori hujus boni operis, ejúsque obsequiis devoveas. *Petitionis* â DEO, & ab eo, qui in hanc actionem incubuit. *Deprecatio* pro te, & aliis.

Actus

Actus, qui fieri possunt Orationis tempore, & interdum per diem.

I.

Admirationis. O amor! quis te capiat? JESUS in cruce mortuus pro me! Quid dicis, anima mea de peccatorum dementia? qui &c. ô insensati! ô cœci! &c. *O mors, quàm amara &c.*

II. *Adorationis.* Tremenda Majestas, suprema bonitas, te adoro. Eamus, & prosternamus nos ad pedem crucifixi, &c. Omni, quâ possum, reverentiâ hunc adoro &c. vellem te adorare, utì Angeli, & Sancti te adorant in cœlis. *Venite, adoremus, & procidamus ante DEUM.*

III. *Amoris.* O JESU! quis te non amaret, postquàm tu propter nos mortuus es. *Amo te Domine.* *Benevolentiæ.* Vellem efficere, ut totus mundus te diligat, quemadmo-

modum mereris. Opto, ut tibi ſervitus, & adoratio tribuatur &c. *Complacentiæ.* O quanto gaudio te intueor tam ſanctum, tam potentem! &c. tam amabilem in hoc ſtatu. *Diligam te, Domine fortitudo mea.*

IV. *Spei.* Poſt hæc, quis non totam fiduciam, & ſpem in te collocabit? Hic eſt pretioſus ſanguis, qui lytrum exſolvit &c. in te ſolum confido. *Adjutor meus, & protector meus tu es, DEUS meus ne tardaveris. In te Domine ſperavi, non confundar in æternum.*

V. *Compaſſionis.* An JESUM in cruce videre poſſum, & nullo dolore affici? Quodnam cor adeò obduratum non emolliet tot animarum interitus oculis obverſans? *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrimarum, & plorabo?*

VI. *Confuſionis.* Pudeat te, ô infidelis anima, aſpice tuum tepo-

rem,

rem, & compara amori in cruce &c. Ah! Rubore perfundor, conſiderans, quòd &c. Qualis contra me exaggeratio? quæ confuſio, quòd adeò ſuperbiam, &c. *Operuit confuſio faciem meam*

VII. *Timoris.* Contremiſco, videns JESUM tam malè habitum. Heu! quid erit de me? Quî ridere poſſum præcipitio, & faucibus inferni proxima? &c. ah terribile momentum, in quo &c. Anima mea, quòd cogitas? oblectamenta quæris, dum &c. *Timor, & tremor venerunt ſuper me.*

VIII *Diffidentiæ* de ſe ipſo. Heu! quàm bene aſſequor debilitatem meam Domine, ah! quid poſſum ſinè te? ſinè te miſera eſſem, & miſerabilis. *Inops, & pauper ſum ego. Sinè tuo lumine nihil eſt in homine, nihil eſt innoxium.*

IX. *Petitionis.* Ah! *Pater miſericordiarum*, da mihi amorem crucis, illam gratiam &c. Ah! JESU,

tibi

tibi ſupplico per merita tui pretioſi ſanguinis ; *per crucem, & paſſionem tuam.* Ah ! S. Spiritus, miſericors, benigne Domine : *Da, quod jubes, jube, quod vis.* Potes ad eandem normam interpellare B. Virginem, & Sanctos. *O Maria, advocata noſtra, &c.*

X. *Deſiderii.* O amor crucis, ô pulchra virtus, quàm ardenter te cupio ! ô JESU, quando te in S. Communione ſuſcipiam ? quando te videbo in cœlo ? &c. *Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus â te non eſt abſconditus.*

XI. *Deteſtationis.* Ite, turpes voluptates, & illicia, vos deteſtor. Ite, indignationes, faſtus, &c. vobis renuncio. Ah ira quàm es horribilis, quàm fœda in tuis affectibus ? procul eſto, &c. Vade poſt me retro Satana.

XII. *Doloris.* Ah ! ergo mea eſt culpa, ergo ego JESUM in crucem, & mortem egi ? ô dolor cordis mei : eheu !

eheu ! quòd tam insensata, tam ingrata hoc fecerim ! an possibile fuit, ut facerem ? &c. ità est, & plusquàm certum. Ah me infelicem, quòd &c. Parce mi DEUS, miserere ; doleo amore tui &c. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.*

XIII. *Fidei.* Ità, mi DEUS, credo propter verbum tuum, quòd &c. Non petamus alias probationes ; DEUS dixit, hoc sufficit. *Credo, Domine, adauge nobis fidem.*

XIV. *Humilitatis.* Ausímne cœlum contueri ego creatura tam ingrata ? Quid sum ego, Domine, nisì pulvis, cinis, nihil, lutum, terræ vermis, peccatrix, debilis animâ, inquinata corpore, & adhuc me tentabo elevare ? *Quid superbis terra, & cinis ?*

XV. *Gaudii.* Quanta exultatione video te, mi JESU, ità honoratum ! Gratulor tibi ô Maria !

de

de tuo triumpho, ô quæ voluptas poſt tot tempeſtates portum tenere,&c. Illuc, ô magni Sancti, vos jam perveniſtis; congaudeo vobis. O anima mea, qualis conſolatio eſſe in gratia DEI! guſta has delicias,&c. *Lætabor, & exultabo in te.*

XVI. *Laudis.* Angeli, & Sancti, laudate, & benedicite JESUM, quòd me per ſuam mortem ab æterna liberaverit. Te prædico mi DEUS,& prædicabo te ſemper corde, ore, & actionibus meis. O ſi efficere poſſem, ut te omnes homines laudent & ament; & tibi tot laudes impendant, quot accipis in cœlo! *Cantate Domino canticum novum. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus.* Sancta Virgo Maria, Sancte N. te laudo, & vellem ubique tuas virtutes promulgare,&c.

XVII. *Oblationis.* Tibi offero meum corpus, & meam animam, meos cogitatus, verba, & opera; tota

tota volo esse tua, me tuis obsequiis plenè dedico, suscipe me inter famulos tuos. *Ego servus tuus. Tuus sum ego.*

XVIII. *Gratiarum actionis.* O quî potero dignè gratias agere pro beneficio redemptionis? sum tibi plurimùm obstricta. ô bonitas infinita, pro &c. Quî ardes tanto mei amore? ô quàm grandis est hæc gratia, quanti momenti & commodi! sed quid rependam? in contestationem grati animi, ubique vulgabo tuam benignitatem, ferventiùs tibi serviam, &c. hæc bona opera præstabo. *Quàm bonus Israël DEUS. Benedic, anima mea, Domino.* Pari ratione DEO gratias age pro iis, quæ in Sanctos contulit.

XIX. *Resignationis.* Mi DEUS, tu Dominus es. dispone pro beneplacito tuo; sum contenta, méque tuæ sanctæ voluntati penitus trado. In meis afflictionibus mea

erit

erit consolatio cogitare, quòd tu has videas, & velis. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.*

XX. *Resolutionis.* *Licèt proposita post affectus collocaverim, poteris tamen illa, non secus, atque has per modum piæ motionis tuæ orationi sparsim immiscere, prout devotio suggesserit.*

XXI. *Zeli.* Quid nos hìc agimus, dum interea tot animæ pereunt? ubi est zelus, quo fervere debeo pro gloria DEI? Volo deinceps adlaborare pro &c. *Vidi prævaricantes, & tabescebam: Si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus?*

PROPOSITA.

COnsiderationibus, & affectibus succedere debent proposita, cùm precatio finem non habeat alium, quàm, ut in ea versemur cum DEO, & vitam innovemus in melius. Adverte 1. proposita, & affectus posse â te fieri sub initium in communi, deinde

sin-

ſingillatim. Poſtquàm ſtatuiſti in genere amare,& amplecti crucem, in particulari videre oportet,quaſnam afflictationes tibi velis inferre. Conſidera circumſtantias loci, perſonarum, occaſionum, &c. 2. Non convenit te eſſe ſolicitam, ut in affectibus, & propoſitis copioſa ſis, ſed ut in utroque bonitatem ſpectes, nitendo præprimìs adversùs vitium, cui magìs obnoxia es, aut contendendo ad virtutem, quam cupis indipiſci,atque id ipſum in meditationis ſcopum crebriùs aſſumas. Cùm non pauci hujus legis obſervantiâ deficiant, indè fit complures poſt decurſum multorum annorum, quibus aſſiduè orationi vacabant, iisdem ſemper imperfectionibus ſcatere. 3. Audi ea, quæ oppoſitum ſuadent, prævide, quæ bonam tuam deſignationem præpedire poſſent, ſimul adpromitte hæc generosè â te ſuperatum iri.

I. Fiat!

I. Fiat ! mi DEUS, renuncio in futurum huic ambitioni, quæ &c. Polliceor in conſpectu cœli, & terræ, &c. *Juravi, & ſtatui cuſtodire judicia juſtitiæ tuæ.*

II. Verum eſt, mi DEUS, me ad hunc uſque diem ſenſuum mancipium exſtitiſſe, deinceps abdicationi ſtudebo. Eram &c. ſed ero impoſterum &c. ab hoc momento novam vitam ordior ; mutabo &c. *Dixi, nunc cœpi.*

III. Satìs jam deliciis dediſti, ô anima mea ! ſatìs jam divinæ gratiæ reſtitiſti ; incipiamus hodiedum, amemus, exerceamus hanc virtutem &c. fugiamus illud &c. *Jeruſalem, Jeruſalem, convertere ad Dominum Deum tuum.*

Hiſce propoſitis ſanctè firmatis ; ſubjicies actus petitionis, confitendo, quòd absque DEI præſidio, nîl penitus poſſis, ſperando, quòd tibi ſuccurret, &c.

AU-

AUDIRE

Id, quod DEUS â te exigit.

COnſultum eſt, interdum divinæ præſentiæ immorari, ac in ſilentio auſcultare dicendo: *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus; Domine, quid me vis facere?* Si quod novum lumen, aut ſanctior affectus tibi obtingat, in tuum commodum verte; ſi ſecus, ad alterum punctum, utì paraveras, indè ad tertium tranſito; eadémque methodo utere, quam tibi pro primo puncto ſuppeditâram.

Cura itaque, cùm mens tua precatione diſtinetur, dulciter per intervalla meminiſſe DEI præſentis, & ſimul receptam meditandi normam proſequere. Non oportet ſemper loqui, ſed interdum avida aure percipere, quid DEUS â te depoſcat, & guſtare ſuaves motiones, quas in anima tua enaſci facit.

Colloquium.

SUb hujus Orationis finem familiaris tibi sit collocutio cum æterno Patre, aut cum JESU Christo &c. tres actus potes elicere. 1. *Gratiarum actionis* pro illustratione, quæ meditanti obvenit. 2. *Oblationis* ad exercitandos pios cogitatus, quos habuisti; eô tempore iterabis proposita majoris momenti. 3. *Petitionis* à DEO, per intercessionem B. Virginis, & Sanctorum &c. ut promissis tuis fideliter stes &c. *Adde unum Pater, & Ave.*

REFLEXIONES POST ORATIONEM.

I.

MEditatione ad calcem deducta recogita, an præparatio, considerationes, affectus, & proposita suis numeris absoluta fuerint &c. Si aliqua in parte te con-

conſcientia redarguit, alta mente repone, ne poſtliminio labaris; ſimul veniam â DEO flagita.

II. Diſcute, an tibi oranti fuerit cordi, 1. *Attentio* tum repellendo, tum devitando mentis evagationes, 2. *Fervor*, non dando locum ulli tepiditati. 3. *Reverentia* obſervando debitam exterioris hominis compoſitionem.

III. Cogitatu præverte occaſiones, quæ per diem ſe offerent, concepta animo propoſita in opus redigendi; poteris hæc, utì & pias motiones chartæ committere.

IV. Delige perbreves aliquas cogitationes, cæu reliquias tuæ meditationis, & ex his precationes, quas vocant, jaculatorias, confice, ut ſæpiùs, & commodiùs per diem repetas.

ANNOTATIONES CIRCA ORATIONEM.

DE PRÆPARATIONE: Hæc duplex eſt; *remota*, quæ conſiſtit in unione cum DEO per ſanctam vitam inita. Homo per diem diſſipatæ mentis, elati, iratíve ſpiritûs, aut rebus quibuscunque plùs æquo adhærens, orationis dulcedinem deguſtare non poterit. *Proxima*, quæ fit, cùm quis libri alicujus ſubſidio, aut alia ratione certam meditandi materiem deligit, hanc in duo, aut tria puncta partitur, præveniendo conſiderationes, affectus, propoſita huc facientia. Utile erit horum ante ſomnum, & ad primas vigilias meminiſſe.

De variis orandi modis. I. Potes tenere ordinem, & modum, quem tibi, ANIMA, antehac præſcripſi; minimè tamen neceſſarium puta, ut ſemper uno, eodémque utaris, ſi Sanctus Spiritus, utpote primus

in

in oratione dux inſpiraverit : hic veluti ventus navim per aquam propellit, quò ei cunque placet; verùm ubi adſpirare deſinit, remis, & induſtriâ res agenda eſt.

II. Poſſunt in meditationem aſſumi præcepta Decalogi, peccata capitalia, actiones diei ; inſerendo opportunos affectus,& propoſita.

III. Neque abs re fuerit interdum meditari *Pater noſter*, *Ave Maria*, *Credo*, aliquem pſalmum, caput è ſacris bibliis, & congruentes unà affectus, quorum aliàs mentionem feci, elicere. Poſt quemvis verſum,poſt quamvis petitionem,poſt quodvis præceptum dic ſemel *Pater*, *& Ave.*

IV. Alia quoque meditandi ratio paſſim adducitur, & fit per applicationem ſenſuum &c.

De affectibus. I. Plùs temporis oportet affectibus, quàm conſiderationibus tribuere.

II. Neceſſarium non eſt, ut omnes omnino conſiderationes unius puncti cum annexis affectibus percurras; ſed poſtquàm unam partem conſiderationum, quarum plures idem punctum complectitur, abſolveris, potes in diverſos affectus te diffundere, prout voluntatem tuam comparatam, affectámque ſenſeris.

III. Affectus multipliciter excitari poſſunt, jam ad DEUM, jam ad te ipſam; interdum ad creaturas eos dirigendo, ſubinde ad B. Virginem, ad Sanctos &c. cum his familiariter agendo.

IV. Poſſunt iidem affectus ſæpiùs repeti; nec tantopere curandum eſt, ut copioſos, quin potiùs ut bene elicias, & magìs præcipuis, in quibus pluſculum devotionis reperis, inhæreas, donec tibi ſatisfactum ſit.

De diſtractionibus. I. Has ſemper repellere debes, ANIMA, etſi mil-

millies redirent; ſed cave ſis, ne tua negligentia, oculorum evagatio, exigua compoſitio,& reverentia iis occaſionem præbeat.

II. Ut devotionem in te accendas, multùm proderit, ore enunciare aliquem verſum Davidis, aut alium è tuis actibus: oculos in cœlum levare, interdum oſculari terram, aliàs pectus pulſare; intueri, & amplecti crucifixum &c. in ſuſpiria erumpere; eheu! ah! quid feci? væ mihi! ah DEUS! &c.

III. Ut mentem minimè vagam, ſed collectam teneas, optimi remedii locò habeto, DEUM tibi præſentem ſæpiùs objicere; nequeo id verbis ſat commendare, ſolùm ut exerceas, te hortor, & oro, mirabiles ſanè effectus videbis. Bona eſt oratio, ſe cùm demiſſione in præſentia DEI conſtituere, & conſervare.

IV. Poſtquàm conſiderationes, affectus, & propoſita unius puncti

perfecisti, ad alterum progredere: quòd si te nonnunquam aridiorem reperias, diversos virtutum actus interiùs elice, prout videris expedire: precare corde, aut ore, ne tempus tibi sinè fructu elabatur, volenti illud prosequi, in quo nihil consequeris; cùm finis Orationis sit, se cum DEO unire, ac cum eo conversari, parùm refert, quibus mediis id fiat. Nihilo tamen minùs à materia meditationis, quàm tibi ANIMA præparâsti, nonex quacunque levi causa desiste, aut deflecte.

FINIS.

IN-

INDEX

DE PRAXI VIRTUTUM.

Introductio generalis, ad veram devotionem. - - - pag. 5.

Reflexiones supra praxim virtutum pro quavis die hebdomadæ. - - 19.

Pro die Dominica.

Amor DEI. - - - - - 33.

Pro die Lunæ.

Amor proximi. - - - 44.

Pro die Martis.

Oratio. - - - - - 62.

Pro die Mercurii.

Fidelitas gratiis DEi debita. 74.

Pro die Jovis.

Humilitas. - - - - 83.

Pro die Veneris.

Pœnitentia. - - - 96.

Pro die Sabbathi.

Patientia. - - - 107.

Reflexiones de victoria alicujus vitii. 122.

Regulæ pro perfectione. - - 134.

DE PRAXI DEVOTIONUM.

Reflexiones supra praxim Devotionum pro quavis die hebdomadæ. 152.

Pro

INDEX.

Pro die Dominica.

Devotio erga SSS. Trinitatem. 159.

Pro die Lunæ.

Devotio pro animabus in purgatorio. 166.

Pro die Martis.

Devotio erga Sanctos. 178.

Pro die Jovis.

Devotio erga SS. Sacramentum. 184.

Pro die Veneris.

Devotio erga Passionem JESU Christi. 191.

Pro die Sabbathi.

Devotio erga B. Virginem. - - 198.

DE PRAXI ACTIONUM.

Reflexiones supra praxim Actionum. 206.

Surrectio. - - - 210.

Precatio Matutina. - - 211.

Missa. - - - - 214.

Negotia, & Labor. - - 228.

Refectio. - - - 234.

Conversatio, & Recreatio. - - 237.

Visitatio SS. Sacramenti. - - 243.

Horæ, & Rosarium. - - 247.

Lectio spiritualis. - - 251.

Concio. - - - - 255.

Examen Conscientiæ. - - 259.

Examen particulare. - - 265.

Preces Vespertinæ. - - 269.

INDEX.

Praxis pro Confessione. - - 271.
Oratio pro præparatione ad Confess. 272.
Examen pro Confessione. - 274.
Septem peccata capitalia. - - 282.
Præcepta DEI, & Ecclesiæ. - 291.
Motiva Doloris. - - 295.
Praxis Communionis. - - 307.
Præparatio pro Communione. 311.
Gratiarum actio post Communionem. 322.
Praxis Orationis mentalis. 334.
Oratio præparatoria, - - 335.
Considerationes circa aliquam virtutem, aut vitium. - - 341.
Actus, qui fieri possunt in meditatione & per diem, &c. - - 351.
Reflexio post Orationem. - 362.
Annotationes circa Orationem. 364.

O. A. M. D. G. B. V. H.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Lemaistre, Barthélemy,

Vera Pietas Seu Virtutum, Devotionum, Actionum Exercitio

Viennae Austriae 1724

Asc. 2810
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10264446-2
VD18 12131105